Spinoza, Benedictus de
Leopold, Jan Hendrik
Ad Spinozae opera
posthuma.

AD SPINOZAE OPERA POSTHUMA

SCRIPSIT

Dr. J. H. LEOPOLD

HAGAE COMITIS
APUD MARTINUM NIJHOFF
MCMII

AD SPINOZAE OPERA POSTHUMA.

AD SPINOZAE OPERA POSTHUMA

SCRIPSIT

Dr. J. H. LEOPOLD

HAGAE COMITIS
APUD MARTINUM NIJHOFF
MCMII



TYP: ZUID-HOLL. BOEK EN HANDELSDRUKKERIJ.

INDEX.

I.

Vir clarissimus Land, cum in Annalibus Societatis Regiae Batavae 1) de editionibus contextuque Ethicae ageret, per complures paginas doctrinae bonaeque frugis plenas de Spinozae elocutione dicendique genere verba fecit. In quibus postquam enumeravit varia vitiorum et errorum genera, quae passim in Operibus Posthumis occurrunt, ad summam haud ita honorificum iudicium tulit de stylo deque auctoris scientia linguae Latinae et Latine scribendi peritia. 2)

---

1) Verslagen en Mededeelingen der Kon. Akad. v. Wet. Afd. Lett. II, 11, pag. 4 vgg.: „Over de uitgaven en den text der Ethica van Spinoza".

2) l. l. p. 8. „Zijn Latijn was niet van het beste en in zijn gebreken niet eens consequent."

p. 13. „Bij het beoordeelen van lezingen, die voor een uitgave van Spinoza's werken in aanmerking komen, hebben wij aandachtig te letten op 's mans bijzonder *spraakgebruik*. Heeft hij zich wel eens verontschuldigd over zijn mindere bedrevenheid in de nederlandsche schrijftaal, ook zijn Latijn vertoont op elke bladzijde bedenkelijke verschijnselen."

ibid. „immers het gebruik van den nominativus of accusativus bij een infinitivus is onzen schrijver niet regt duidelijk."

p. 15. „Hetgeen ons eenvoudig als een ondragelijke taalfout voor-

Et sane haud pauca insunt in textu Opp. Posth., quae lectorem, etsi vix morantur, offendunt tamen. Quorum praecipua Land l. l. enumeravit et interpretatus est; scilicet discrimen turbatum inter Nominativum et Accusativum cum Infinitivo; gerundium pro gerundivo usurpatum; denique orationem indirectam, imprimis quae interrogative effertur, male habitam nec ordine explicitam.

Nec non hisce alia addi possunt, (quamquam iure suspiceris, gerundium pro gerundivo compluribus locis consulto ab auctore, dum perspicuitati studet, adhibitum esse). Sic consecutio, quae vocatur, temporum parum diligenter a nostro observatur, cf. ex. gr. Eth. IV, praef.: „verum si quis opus aliquod *videt*, cuius simile nunquam *viderat*, nec mentem opificis *novit*, is sane scire non *poterit*", etqseqq. 1) Addi porro pos-

---

komt, kan nog van dienst zijn om van Spinoza's *taalgebruik* of den graad zijner grammatische kennis te getuigen."

p. 14. „Een ander punt, waarop de stijl van Spinoza telkens zondigt, is de afhankelijke zin."

Cf. etiam Spinozae Opera edd. v. Vloten et Land, Ed. II, tom. 1, p. XI: „(scriptor), cui ad recte scribendum haud sane ingenii facultas, sed institutio scholastica continuata defuerit."

1) Quod frequentissime factum est in verbo *posse*, ita ut nulla fere vox saepius ab editoribus emendata sit; cf. ex. gr. Eth. II, 17, schol.; IV, 4, dem.; de int. em. 7; Tract. Pol. VIII, 21. Comparari porro possunt loci, quales sunt Tract. Pol. VI, 16: „quod necessario *fiet*, si omnes recederent" ubi L. correxit *fieret*; cf. Vs. Belgica: „'t welk noodzakelijk *zou moeten geschieden*, zoo" enz. et paullo infra Tract. Pol. VII, 13: „si ad vitam eligerentur...... praeterquam quod maxima civium pars vix ullam spem posset conci-

sunt rogationes simplices per utrum inchoatae; ex. gr. de int. em. 43: „atque adeo quaeri potest, utrum nos bene ratiocinemur"; neque desunt alia minora, quae iustae reprehensioni ansam praebeant.

Sed relege, si placet, exempla in superioribus notata itemque ea quae a L. prolata sunt, et deinde reputa, cuius generis sint vitia, quae Spinozae exprobrantur. Quae fere omnia constant in eo, quod auctor in sententiis amplioribus efferendis verborum connexionem et structuram non recte ad finem usque observaverit; quod, ut ipsius L. verbis utar, filum orationis interdum interruperit; quodque anacoluthis, siquidem adhuc fas est uti tali vocabulo in hac re, iusto plus indulserit.

His adde auctoris nostri plane mirificam inconstantiam, quam etiam L. attigit quamque uno alteroque exemplo illustrare liceat. Sic Eth. II, 49, schol.: „quod nihil clarius videatur docere experientia, quam quod nostrum iudicium *possumus* suspendere, ... nihil igitur clarius videtur docere experientia, quam quod voluntas sive facultas assentiendi libera *sit*." Eth. III, aff. def. 3, explic.: „Nam quod tristitia in transitione ad minorem perfectionem *consistit*, nemo negare potest. — Nec dicere possumus, quod tristitia in privatione maioris perfectionis *consistat*." Et sic passim.

---

pere . . . . . . magnam praeterea ad omnia licentiam *sument*," ubi possis „*sumerent*" cf. Vs. B.: „— zo *zouden* zij groot verlof tot alles *aan zich nemen*." Cf. tamen quae infra ad p. 8 annotaturi sumus.

Haec autem omnia, scilicet et anacolutha ceteraeque structurae remissiores et inconstantia, quam notavimus, eodem, nisi fallor, spectant et eandem rem arguunt. Profecto non ignorantiam, eruditionis defectum vel absolutam scribendi imperitiam, sed socordiam quandam et neglegentiam; incuriam nimirum auctoris, qui in conceptibus suis effingendis scriptoque mandandis ante omnia mentem suam explicare et lectori probare studet, de grammatices regulis non nimis sollicitus et in tempus minima non curans; postmodo, si res fuerit tanti, etiam his manum emendatricem adhibiturus.

Huius autem, quam volumus, neglegentiae etiam alia exstant indicia. Etenim literae autographae Spinozae, quae supersunt, si cum editione principe comparantur, haud raro in levioribus variare deprehenduntur. Exemplo sint Ep. XLVI, autogr.: „non video, cur easdem supra communes lentes *commendes*"; ubi Opp. Posth. vitiose: „nihil video — cur *commendas*"; Ep. IX, autogr.: „definitionem, quae inservit ad rem ..... explican*dam*"; Opp. Posth.: „ad rem explican*dum*"; Ep. LXXV, (in exemplo Gerhardtii): „ut determinare possimus, quousque ejus vis et potentia se *extendat* et quid ejus vim *superet*"; Opp. Posth.: „quousque ..... *extendit* et quid ..... *superat*". Contra Ep. XXXII, Opp. Posth.: „puto te rogare rationes, quibus *persuademur*", cum autographon exhibet: „rationem, cur nobis *persuademus*".

Neque existimandum, talem incuriam unius Spinozae

propriam fuisse; immo in aliorum epistulis ad Sp. datis plane eiusdem generis errores interdum inveniuntur. Sic in literis Oldenburgii, quem tamen non temere ignorantiae vel imperitiae Latine scribendi arguas, haec leguntur: ep. VII: „magnopere rogo, ut, quid super hac re consilii *capies*, mihi significare non graveris"; ep. XXXIII: „ex urbe Constantinopolitana, *cui hujus rei* maxime omnium interest"; ep. LXXIV: „Qui huic nodo adhiberi *possit* cuneus, perquam ardua res dictu est. Tu quid opis hanc in rem suppeditare *posses*, scire et discere pervelim." Simili modo Tschirnhaus ep. LVII: „Si ex duobus unus aliquid affirmet, alter vero neget, et ita, *ut* ejus *sint* conscii, loquantur", etqseqq, ubi *ut* comparativum cum coniunctivo effertur, quae res Vers. Belgicam male habuisse videtur; porro Albertus Burgh, ep. LXVII (Ed. Princ.): „rationes, quae reliquis philosophiis non *sunt* communes, sed soli tuae applicari *possint*", (quod L. tacite correxisse videtur), et paullo infra: „qui in Christum venturum aut iam *ventum* crediderunt aut etiamnum credunt". Denique conferri potest epistula LXX Schulleri, in qua, cum „styli ruditatem" excusat auctor, notandum est, scribentis neglegentiam et hic praecipue in consecutione temporum turbata apparere.

Cave igitur, ne in talibus erroribus nimis absolute aliquid unius Spinozae proprium agnoscas, cum etiam alii in prorsus iisdem vel in similibus peccantes deprehendantur. Qua in re in memoriam revocandum,

quod attinet ad epistulas, earum auctores et nescivisse nec fortasse suspicatos esse fore umquam, ut ea, quae literis commisissent, publici iuris fierent. Itaque si quid minus polite iis exciderit, socordia privata habenda est neque nimis exprobranda, nedum in imperitiam ignorantiamve vertenda.

Opera autem Posthuma, quae auctor ipse non edidit, partim ne absolvit quidem, si iam solito plura vitia exhibent, quid aliud arguunt, nisi quod auctor in opere conscribendo, imprimis rei et argumento prospiciens, verborum concinnitatem hic illic parum curaverit, satis contentus, si in conceptibus elucidandis et sibi et suis satisfecisset; posthac, si umquam opus ederetur et schedae, prelo commissae, denuo perlegendae essent, satis tempestive ultimam manum adhibiturus, errores conspicuos sublaturus, sententias levigaturus, denique, ut est in praefatione Opp. Posth. „examinaturus, politurus ac emendaturus". 1) Qua in re quid est, quod tamquam insolitum valde admiremur?

Itaque ne nimis, censeo, urgeamus hosce errores et vitia, quae ex ipsa Opp. Posth. conditione leniter

---

1) Alterum exemplum plane eiusdem rei praebent Principia Philos. Cart. Quem librum in usum privatum discipuli composuerat Sp., tamen amicis petentibus in lucem edere non recusavit; itaque revisendum, „stylo elegantiori ornandum", praefatione augendum curavit. Quam rem cum Meyero suo conficiendam tradidit noster, deficientis literarum Latinarum scientiae arguitur a Meinsma in libro „Spinoza en zijn Kring." p. 207.

et simpliciter explicari possunt; hoc est, noli ignorantiae vel inscitiae tribuere, quae incuriae socordiaeque sunt indicia, neque auctoris scientiam et usum linguae Latinae aestimare ex iis, quae, priusquam evulgarentur, sibi et amicis conscripserat, neglegentius, ut fit in talibus, nonnulla interspargens, quae futurae editionis minutiores curae sponte emendaturae essent; denique noli pro stylo nescio quo vel elocutione vel sermonis usu agnoscere, quae ad summum certum quoddam vitiorum genus constituunt, quod tamen et apud alios deprehenditur et omnino fere id est, in quod Latine, imprimis currente calamo, scribentes maxime proclives esse solent.

Igitur, si iam exempla, quae in superioribus perlustravimus, tamquam testimonia ad Spinozae stylum cognoscendum reicienda sunt, liceat, quoniam semel de eius scientia linguae Latinae, de sermone et genere dicendi quaestio instituta est, alia circumspicere indicia et ea addere, quae philosophi opera perlegenti sese offerre solent.

Atque prima res, quae quemlibet lectorem offendat, libertas est illa, qua usus est auctor in vocabulis et locutionibus eligendis, ita ut fere totam Latinitatem complectens modo hinc modo illinc nonnulla deprompserit et in suum usum converterit. Neque enim in singulis vocabulis adhibendis neque in sententiis connectendis Sp. intra illos satis angustos fines se continuit, quibus plerique recentiores Latine scribentes se cohibere student, intra classicum, ut voca-

tur, idioma, Ciceronis scilicet et Caesaris. Quo factum est, ut passim apud eum occurrant voces, quae vel florente literarum aetate in desuetudinem abierant, vel recentioribus demum temporibus exstiterunt, ita ut eius oratio variet et quasi vacillet inde a priscis Latinis auctoribus, Plautum puta et Terentium, usque ad novissimos, Patres Ecclesiastas, Iuris Consultos.

Pauca subiungam exempla. Sic, quod attinet ad syntaxin, recentiora tempora plerumque sermo eius redolet, qui interrogationes simplices per *an* efferre amat; qui ablativum gerundii loco participii Praesentis adhibet; qui sententias per *quod* incipit pro Acc. c. Inf. 1); qui „longum fuerit, melius esset"; qui *quam* cum Positivo in sententiis, quales sunt „quam breviter potero" et aliis exhibet; denique qui, serioris Latinitatis gliscentem Coniunctivi usum imitatus, fere ubique sententias per hunc modum effert, quo factum est, ut omnes subtiliores distinctiones tollerentur. Sic post coniunctiones temporales, quales sunt *antequam* vel *donec*, sine ullo discrimine Indicativus vel Coniunctivus occurrit; post *si* 2),

---

1) Altera causa, cur Acc. c. Inf. vitaverit noster, perspicuitatis studium fuisse videtur, ut etiam in ablativo absoluto, qui non nisi rarissime invenitur.

2) Notandum, quod modum, quem irrealem vocant, satis diligenter observavit Sp., unde L. feliciter textum semel atque iterum restituere potuerit; cf. ex. gr. Eth. IV, 4, dem; Tract. Pol. VIII, 21, et quae supra pag. 2 annotavimus. Tantummodo monendum, quod post protasin irrealem in apodosi nonnumquam futurum tempus insolite occurrit, cf. Eth. I, 13, dem: „si esset — dividere-

etsi, *tametsi*, immo post *sive-sive* 1); deinde post *quod* et *quandoquidem*, denique post *quicunque* et *quantuscunque*, (nam nolim in postremis usum comicorum agnoscere): in omnibus his sententiis fere indistincte nunc Indicativus modus nunc Coniunctivus adhibetur, tamen ita, ut Coniunctivi usus longe praevaleat.

---

tur — *retinebunt.* Ep. XXXV: „Sive possideret — esset — *redigemur*"; ita ut dubitari possit, num recte L. in loco, de quo pag. 2 egimus, Tract. Pol. VI, 16 „fiet" in „fieret" mutaverit.

1) Huic voculae haud raro apud nostrum adiungitur *quod*, quasi per abundantiam, ita ut fere Batavismum (*hetzij dat*) in Latinum sermonem irrepsisse suspiceris. Cuius structurae, quae interdum interpretes male habuisse videtur, notavi haec exempla:

Eth. III, aff. def. 1: „sive ea sit innata, sive *quod* ipsa...... sive denique *quod*," etqseqq.

Eth. IV, 1, schol.: „sive eae naturalem corporis constitutionem sive *quod* eiusdem agendi," etqseqq.

Ep. XLIII: „sive istam legem Dei iuris formam ab ipso Deo accepisse statuam sive *quod* ipsam concipiam," etqseqq.

Similiter *vel quod* ponitur, praecedente *si* et *nisi*.

Eth. II, 49 schol. in fine: „nisi imaginatio equi alati iuncta sit ideae...... vel *quod* percipit," etqseqq.

Cf. etiam Eth. IV, 20: „*vel quod* cogatur" et Ep. LXXV: „si bonum a Deo tamquam Iudice accipiamus, *vel quod* ex necessitate," etqseqq., ut legitur in exemplo a Gerhardtio edito; praeterea cf. Ep. XLIII.

Deinde eodem modo „*sed quod*" legitur de int. em. 67: „si existentia rei non sit aeterna veritas, *sed quod* necessitas pendeat," etqseqq; Tract. Pol. VI, 22: „Quodsi nec hoc fecerit, *sed quod* consilium," etqseqq.; VIII, 36: „si eadem non fuerit probata, *sed quod* numerus," etqseqq.

Denique huc spectat Eth. I, 32, schol. 2: „Si Deus decrevisset, hoc est *ut* aliud de natura voluisset," etqseqq.

Iure igitur Land refutasse videtur (tom. II, praef. p. VI), quae de ep. XLIII disputavit Martineau in libro „A Study of Spinoza", p. 98.

Neque aliter in singulis vocabulis usurpandis se gessit scriptor, quippe qui (ut tantum ea complectar, quae unaquaque fere pagina occurrunt) *prae* pro *propter* idque in sententiis positivis amet adhibere, comicorum, opinor, usum imitatus; contra, dum etiam in his recentiorem potissimum Latinitatem sectatur, *apprime* (cum verbo coniunctum) pro *imprimis*, *iuxta* pro *secundum*, *absque* pro *sine* adhibeat; qui *idem cum*, *in tantum, e contra, extrinsecus* adiective, *utcunque* adverbialiter, *hucusque*, *medius* pro *dimidium* proferat; denique qui *quoad* cum Acc. pro *quod attinet ad* et *nullibi* pro *nusquam*, suspectissimae Latinitatis voces, passim usurpet.

Porro, sicut iam in superioribus nonnulla rariora notari possunt, ita in vocibus eligendis Spinozam interdum elegantiae cuidam studuisse deprehendimus et nonnumquam sermonem exornasse, dum pro tritis vocabulis inusitata et longius arcessita inserit. Itaque praecipue in epistulis, scilicet in quibus potissimum talibus deliciis locus esset, hic illic locutiones exquisitiores, flosculos, ut aiunt, voces denique raras et absconditas, immo semel vel bis ἅπαξ λεγόμενα, quae dicuntur, intersparsa invenias. Sic auctor e comicorum sermone mutuatus esse videtur: *se dissolvere, saepiuscule, denuo* (Eth. III, 47, schol.) eo sensu, quo Graeci αὖ usurpant, *temerarius* pro *fortuitus*; ad recentiores autem scriptores referenda sunt: *offendiculum, in procinctu, in antecessum, adinvenire, speciatim, animitus, epistolium, noviter,* quorum postrema in

integra Latinitate vere ἁ. λ. constituere videntur.

Nec non lusui cuidam verborum interdum indulget; ex. gr. de int. em. 57 1): *verae ac merae* (cf. Plin. Ep. VIII, 24, 2); Tract. Pol. VI, 26: *argumentis—tormentis*; VII, 2: *uno actu et ictu.*

Denique semel atque iterum auctor orationi locum e poeta quodam citatum apte interponere scit, sive tecte ad omnibus nota verba alludens, sive integrum versum referens. Quorum omnium frequentissimum est Ovidianum illud „video meliora proboque", etqseqq., quem locum in deliciis habuisse apparet; quem ter in Ethica, deinde in Epistulis quoque citavit. Cui adde eiusdem scriptoris Am. II, 19, 4, qui locus Eth. III, 31, coroll.; et Am. III, 4, 17, qui Tract. Pol. X, 5 citatur; porro Ciceronis locus celeber de gloria appetenda (pro Archia 11), qui citatur Eth. III, def. aff. 44; ad quem alluditur Eth. IV, 52, schol.; Taciteum illud de vulgo (Ann. I, 29), quod legitur Eth. IV, 54, schol.; verba Horatii (Sat. I, 1, 14: „loquacem Delassare valent Fabium"), quae recurrunt ep. LXXVI.

Quodsi quis exemplum desiderat, quo omnia, quae enumeravimus, apte illustrari possint, perlegat ex. gr. epistulam XXVIII, ab editoribus Batavis ex autogra-

1) In laudando tractatu de int. em. utor numeris, qui in editione Bruderiana exhibentur. Nam etsi omni auctoritate carere et a Br. nonnumquam satis infeliciter appicti esse videntur, tamen in locis designandis vel investigandis tantum commodi tantumque compendii afferunt, ut aegre eos in recentiore editione desideres; immo, ut etiam Ethicae scholia paullo ampliora, praefationes, appendices, denique Epistulas quoque simili modo distinctas iure optaveris.

pho editam. In qua etsi pleraque simpliciter et inornate perscripta sunt, utpote in epistula ad familiarem data, tamen oratio non omni artificio caret, sed interdum leni quadam et fere hilari elegantia splendescit, cum haud raro exquisitius verbum vel locutio occurrat, semel vel bis lusus verborum appareat, immo in fine verba Vergiliana („classique immittit habenas") repetantur et ad dictum quoddam Terentii (Andr. 845: „omnis res iam est in vado") alludatur.

Quae cum ita sint, tamen et de his omnibus valent ea, quae de socordia Spinozae et neglegentia in scribendo, qualescumque fuerunt, in superioribus monuimus. Noli ea, quae hactenus enumeravimus: liberius scribendi genus, varietatem sermonis, flosculorum usum, elegantiae studium, Spinozae tamquam propria imputare, quae omnia aeque in amicorum et aequalium scripta cadant. Immo ne singulae quidem voces et locutiones, quas in praecedentibus perlustravimus, uni philosopho nostro vindicandae sunt. Sic, quae de ablativo gerundii pro Part. Praes., de coniunctionibus quod, sive-sive, etc. cum Coniunctivo potissimum adhibitis, de vocibus absque, e contra, iuxta, hucusque, prae, quoad, annotavimus, omnino quadrant in epistulas amicorum, in quibus haec et alia huiusmodi passim occurrunt. 1)

---

1) Consultius visum est, ne inquisitio rei per se satis levis in immodicum cresceret, disceptationem intra fines Operum Posthumorum cohibere. Tamen monendum est ex. gr. apud Baconem complura ex iis, quae notavimus, ex. gr. absque, e contra, quoad,

Quod autem ad vocum absconditarum usum et elegantiae studium attinet, cum talia plerumque pro persona scriptoris variare soleant, ita parcius quidem apud Tschirnhausen, v. Velthuysen, Burgh, alios apparent, quamquam ne apud illos quidem plane absunt; contra Oldenburgius vix sibi hac in re satis facere potuisse videtur et, ut illorum temporum sermone utamur, multis parasangis Spinozam superat, cum in vocabulis rarissimis et doctissimis promendis, tum in laudando vel etiam obscurius alludendo ad hos vel illos Latinorum scriptorum locos, interdum satis remotos. 1)

---

noviter, ablativum gerundii loco Part. Praes., utrum in rogationibus simplicibus, alia passim inveniri.

1) Inter alia haec tamquam rariora vel exquisitiora notari possunt: fortassis (Ep. I); effigiare (Ep. III); obgannire, expectorare (Ep. VII); redhostimentum, tui genii et ingenii vir (Ep. XI); efflictim (Ep. XXXI); propalare (Ep. LXI); sufflaminare, vilescere (Ep. LXXVII); collabascere (Ep. LXXIX).

Quod autem attinet ad locos ex scriptoribus petitos, fere nulla eius exstat epistula, quin aliquid docti et absconditi insit, quod interdum tam longe arcessitum est, ut ex. gr. veterem interpretem Belgicum prorsus fugerit. Notavi: Ep. I quasi per transennam (Cic. de Orat. I 162) longum vale (Verg. Eclog. III 79); Ep. VII pax perennat (Ovid. Fast. I, 721), Ep. XIV, ut sentire quae velis, etqseqq. (Tacit. Hist. I, 1); Ep. XXIX malorum Ilias (Cic. ad Att. VIII, 11, 3); Ep. XXXI, rumpe moras (Verg. Aen. IV, 569); Ep. LXXIV fatis agimur duraque, etqseqq. (Seneca Oed. 985).

Quam parum feliciter autem in his Versioni Belgicae interdum res cesserit, optime cognosci potest ex Ep. XXXI: „Rumpe igitur moras, nec scindi tibi penulam patiaris." Quae locutio, ex Cic. ad Att. XIII, 33 petita, tamen satis obscura est, nisi sensum et metaphoram loci, ad quem alluditur, recordaris. Quo factum est, ut eam sic reddiderit Vers. Belg.: „worstel dan door dit marren heen en lijd niet dat deze regenmantel gescheurd wordt."

Quae cum ita sint, statuendum esse videtur, ut paullatim ex illis minutiis emergamus, Spinozam fere eodem sermone et dicendi genere usum esse, quo amicos eius et aequales; Latinitate scilicet illa et elocutione, quae tum temporis plerisque communis fuisse apparet, cum in literarum republica, quicquid maioris esset momenti, a quoque Latine perscriberetur et omnium studiorum omniumque disciplinarum receptaculum et commune quasi domicilium esset lingua Latina.

Statuendum deinde philosopho in Latine scribendo neque melius neque peius cessisse, quam plerisque e ceteris, et, si iam Oldenburgius exquisitius et uberius, v. Velthuysen purius scripsisse apparent, at neminem alium ex amicis video, quem in hac re iure Spinozae anteponas.

Etsi igitur hactenus vix de Spinozae proprio dicendi genere sermo esse potest et in Latine scribendo philosophus vix supra aequales sese extollit, noli tamen hanc parvam laudem esse putare; tantam enim apparet fuisse illorum temporum scientiam et peritiam linguae Latinae, ut etiam in turba delituisse non minima laus sit.

Etenim, quod ad ipsam Latinitatem attinet, etsi purior non evasit lingua, quae a tot hominibus fere cuiusque conditionis adhiberetur, quaeque tot novas res et conceptus in se recipere et aptis vocabulis instruere deberet, at contra negari non potest linguam sic et auctiorem et magis variatam exstitisse et nactam

esse libertatem novam et quadam elegantia non carentem, ad quam recte ministrandam, si non profunda, at satis ampla scientia et imprimis ipsorum auctorum haud vulgaris notitia, immo lectio continuata et interior consuetudo omnino opus esset.

Scriptores autem, quamquam eorum ceterae virtutes pro cuiusque natura variant, tamen fere omnes in hoc consentiunt, atque hunc vel maximum laudis titulum exhibent, quod ipsum ingenium ipsamque indolem linguae Latinae tam recte intellexerunt, penitus persenserunt, dein sollicite respexerunt colueruntque.

Quo factum est, ut primum in ipsis conceptibus cogitationibusque formandis et deducendis nativa illa linguae Latinae luciditas et acute distinguendi consuetudo nec non severior ordo haud parum effecisse putanda sint. Deinde in sententiis effingendis scriptores, licet grammatices elementa non nimis anxie curaverint et interdum iis aliquid exciderit, quod diligentiorem censuram vix effugiat, tamen ubique colorem, ut aiunt, Latinum prae se ferunt et intimam essentiam linguae, ut ita dicam, in scriptis suis fideliter conservare noverunt; quippe qui Latine et cogitent et scribant, hoc est pure et castigate; qui vim ipsam nativam vocabulorum persentientes modo rebus propria nomina imponere sciant, alias metaphoram recte instituere, feliciter promovere, eleganter absolvere valeant; qui per antitheses, paronomasias, reliquas figuras orationem apte distinguere sciant;

denique qui digitis et auribus callentes sententias concinne instruere, aequabiliter producere, postremo finem numerose cadentem imponere perdidicerint 1).

Atque hic, credo, locus est, ubi de disciplina, quae in talibus permultum valere solet, breviter mentio fiat. Disciplina enim et institutio cum in comparanda verborum copia et in constituenda et supplenda illa Latinitate, de quibus supra egimus, quam plurimum effecisse existimanda est, tum ad excitandam et promovendam curam illam et studium pure, nitide, eleganter scribendi. Neque multum, puto, erraveris, si nonnunquam apud nostrum amicosque eius ipsos flosculos, quos illorum temporum magistri discipulis inculcare solebant, ipsa sententiarum ornamenta et conformationes, ipsos denique locos ex scriptoribus petitos, quos schola communes reddiderat, deprehendere et agnoscere tibi videaris. Stet igitur ludo literario integra sua gratia honorque, quoniam sat multa ex iis, quae supra enumeravimus, laudavimus quoque, tamquam legitima pars ad scholam referenda esse apparent.

---

1) Exempla exquisitae vel etiam optimae Latinitatis ex philosophi operibus proferre, et odiosum est neque opus esse confido.

Liceat tantum unam et alteram vocem notare, quam rectissime adhibuit noster, cuius tamen usus vel paullo subtilior significatio nescio an hunc illumve interpretum effugerit. Ex. gr. fabula (= comoedia) de int. em. 82, Eth. IV, 39 schol.; pascere, de int. em. 10; adeo (= valde) Eth. III, 18 schol. 1; lex (= condicio) Eth. III, 39; minus per litoten pro non, Eth. IV, praef.; gaudere (= frui) Eth. III, 32, V, 35 et 42. Tract. Pol. VI, 29, IX, 10 et 13.

Quam egregiam autem Spinoza in domo F. A. v. d. Enden nactus sit institutionem scholasticam, et apud alios philosophi biographos videre est et imprimis apud Meinsma. Qui cum in libro „Spinoza en zijn Kring." de celeberrimi illius magistri vita moribusque ageret, praecipue de eius praeclaro ingenio, rara doctrina, nec non de eius felici vereque liberali discipulorum institutione multa et luculentissima enarravit, ad quae lectorem delegatum velim. Unum tantum ex eius copiis apponere et in usum nostrum conferre liceat. Etenim cum non desint, qui imperitiam linguae Latinae, quam in philosopho nostro agnoscere sibi videantur, per satis breve tempus, quo lectionibus magistri interfuerit, excusare studeant, operae pretium videtur haec monere. Si apud Meinsma l. l. p. p. 138 et 157 tempora recte computamus, Spinoza per quattuor vel quinque annos magistro v. d. Enden operam dedisse existimandus est. Quod spatium, etsi nostrorum hominum opinioni brevius fortasse videtur, tamen illis temporibus, praesertim in tam egregii magistri domo, satis superque fuisse apparet. Perlege enim, quae de amico quodam Spinozae, Diderico Kerckrinck, optimae sane spei adulescente, exhibet Meinsma p. p. 138 seqq. Qui „nulla alia, nisi quae in inferioribus scholis acquiritur, scientia instructus, duobus modo annis post satis eruditus academiam Lugdunensem adiit"; porro de quo amicus Andreas Frisius publicum tulit testimonium huiusmodi: „nam quis est, quin admiretur, quod tu, postquam duode-

viginti annos natus ad elementa linguae Latinae accessisti, spatio duorum annorum ad tam intimam notitiam linguae Latinae et elementorum Graecae provectus es, ut non tantum illam emendate scribere et loqui, sed etiam hanc aliquatenus intellegere valeas". 1)

Qui locus satis memorabilis est, cum et optime illustret communem illorum temporum propaedeusin gradumque eruditionis, ad quem studiosi iuvenes provehi solerent, et praeterea omnia, quae de egregiis profectibus duce v. d. Enden faciendis exhibentur, ad Spinozam, neque illum vulgaris ingenii adulescentem, quique per spatium altero tanto maius magistro adfuerat, tute, credo, applicari possint.

Restat unum et alterum, quod quodammodo facit ad illustrandam Spinozae peritiam Latine scribendi ideoque paucis memorandum videtur. Quorum prius est locus ille saepe agitatus, qui legitur in epistula ad Blyenbergh XIX: „ik wenschte wel, dat ik in de taal, waar mee ik op gebrocht ben, mocht schrijven. ik sow mogelijk mijn gedaghte beeter konnen uytdrukke." Cui petitioni respondet Blyenbergh Ep. XX. Versionis Belgicae, (quae ipsa Bl. verba exhibere

---

1) Ecce verba ipsa Frisii (Meinsma p. 139): „Want wie zou niet bewonderen, dat gij op achttienjarigen leeftijd begonnen de beginselen der latijnsche taal te leeren, in eene tijdruimte van twee jaren tot een zoo volmaakte kennis van het Latijn en de beginselen van het Grieksch gekomen zijt, dat gij de eerste taal niet alleen onberispelijk schrijven en spreken kunt, doch ook de andere eenigermate begrijpen."

iure censetur): „wat belanght van te mogen schrijven in die Tael, waer in opgebrocht ben, en kan UE. niet weygeren, soo het anders Latijn of François is: maer ick versoecke noch dese antwoorde in dese eyge Tael te mogen ontfangen, alsoo ick UE. meeninge daer heel wel in verstont, en misschien in 't Latijn soo klaer niet en soude verstaen." Quae verba in Ed. Princ. sic redduntur: „non recuso, si ea lingua, in qua educatus sum, scribere animus est, vel alia, modo Latina aut Gallica sit; hoc vero responsum, ut eadem exares lingua, peto, quia mentem tuam in ea bene, quod forte in lingua Latina non fieret, percipiebam."

Verba Latina „in qua educatus sum" et „ut eadem exares lingua" quam parum accurate exemplum Hollandicum referant, optime notavit et illustravit L. Superest monendum, simili socordia verba „soo het anders Latijn of François is" reddita esse per „vel alia, modo Latina aut Gallica sit". Etenim „soo anders" in vetustiore nostra lingua idem valet, quod Latine „siquidem"; in quam rem conferatur Ned. Woordenb. IV, p. 431; ita, ut haec fiat legitima versio: „non recuso, si ea lingua, in qua educatus sum (vel potius „es") scribere animus est, siquidem Latina aut Gallica est". Quae verba quantum a superioribus discrepent, neminem fugere puto.

Integra autem superest difficultas in hoc; qualem linguam Spinoza designaverit per illa verba „in qua educatus sum". Quam in rem hoc rogatum velim. Estne credibile Spinozam cogitationes suas et con-

ceptus philosophicos Hispana vel Hebraica 1) vel ulla alia nisi Latina lingua recte et adaequate exprimere mentemque suam explicare et potuisse et voluisse? Quae res quam parum sit verisimilis, facile omnes sentient, qui ea recordantur, quae Sp. Batave de philosophia sua conscripsit, in quibus fere semper linguam Latinam subaudias, quique ipsi in elucubranda eius philosophia experti sunt, quam penitus et intime tota illa doctrina cum ea lingua cohaereat, per cuius verba conceptus primi exprimendi erant.

Deinde estne verisimile Spinozam revera cogitasse de literis Hispanis, vel Portugaicis, vel Hebraicis mittendis ad mercatorem Dordracensem, praesertim ad eum, quem linguae Latinae saltem adeo peritum sciret, ut Principia Philos. Cart. perlegere valuisset?

Nisi fallor, alia subit suspicio et agnoscis Spinozam a mercatore, quem pro professione satis eruditum expertus esset, veniam petentem, ut, tamquam viro docto ad virum doctum, Latine ad eum scribere sibi liceat, plane eodem consilio, quo cum plerisque amicis Batavis, de Vries, L. Meyer, v. Velthuysen, Burgh, literarum commercium instituerat et vulgo viri docti, etiam eiusdem nationis, inter se communicasse videntur.

---

1) Land in dissertatione de Edd. et contextu Ethicae, l. l. p. 13 innuit Spinozam linguam Hebraicam significasse.

Iam, si placet, relege verba Blyenberghii sicuti ea reddidimus: „non recuso, si ea lingua, in qua educatus es, scribere est animus, siquidem Latina aut Gallica est; hoc vero responsum, ut eadem exares lingua, peto, quia mentem tuam in ea bene, quod forte in lingua Latina non fieret, percipiebam".

Vides etiam Blyenbergh suspicatum esse per linguam illam, in qua educatus esset Spinoza, significari Latinam aut Gallicam et quidem eum praecipue de Latina cogitasse, cum in ulterioribus Gallicam iam neglegens de sola Latina agit atque disputat.

Altera res, quae fere eodem spectat, haec est. In assignandis versionibus Latinis illarum epistularum, quas olim Hollandice conscriptas esse constat, editores Hagani alias Spinozae ipsi, alias amicis eius tribuerunt. Qua in re fere unicam, ut videtur, normam, ad quam statuerunt versionem hanc vel illam a Spinoza aut ab amico factam esse, lemmata Latina, in margine Versionis Belgicae occurrentia, fuisse apparet; quippe quae interpres Batavus ex ipsius philosophi versionibus depromere et contextui suo appingere operae pretium duxerit, contra ex amicorum interpretatione transscribere merito spreverit.

Quae opinio prima sane fronte satis arridet; vide tamen, quo editores perduxerit. Scilicet eo, ut, cum epistularum XL et L ipsum corpus Spinozae vindicarent, tamen epistulae XL exordium satis breve, epistulae L ultimas sententias ab amico versas existimarent. Similiter postquam omnes epistulas a Boxelio et ad

Boxelium missas ab ipso Spinoza Latine versas esse perhibuerunt, unicam epist. LII, quae est e brevissimis, tamquam ab amico versam excipiunt.

Quae omnia quam parum sint verisimilia et per se et in auctore, quem satis recte et commode et fortasse potissimum Latine scribentem deprehendimus, unicuique manifestum esse confido.

Itaque, si iam concedamus fieri potuisse, ut Spinoza ex. gr. ab epistulis Blyenberghii, prolixis et taedii plenis, Latine vertendis abhorruerit, ita ut post eius mortem hoc onus amicis incubuerit, at noli tibi fingere auctorem nostrum tam difficile verba congregantem, tamque laboriose Latinas sententias excludentem, ut, cum summam operis ipse confecisset, unam vel duas alineas addere, scilicet quod puncti temporis opus esset, refugeret. 1)

Atque haec hactenus. Iam si ea, quae in superioribus disputavimus, paucis repetere licet, haec conati

---

1) Ad ep. XLI haec annotat L.: „In Vers. Belg. Latina verba non afferuntur. Quod utrum ideo omissum sit, quod Spinozae autographon Hollandicum haberent, an propter epistulae argumentum satis perspicuum, non liquet." — Omnino recte sese habent verba ultima, quippe quae alteram innuant causam eamque magis internam, cur interpres lemmata hic illic addere neglexerit; scilicet quia ob epistulae perspicuitatem vix opus erat. Quam recte autem haec suspicatus sit Land, vel epp. LXII et LXVIII probare possunt, quas Latine conscriptas fuisse certo scimus nec tamen in iis vertendis Vers. Belg. ulla exhibet lemmata; nimirum quia simplicissimi sunt argumenti. Attamen quantopere haec, quae iam disputamus, vim demonstrativam ratiocinii prioris, sc. lemmata addita aut omissa indicare versionem a Spinoza ipso aut ab amicis confectam, infringant, neminem fugere existimo.

sumus efficere. Primum, vitia illa conspicua, quae horum temporum homines prima fronte fortasse offendunt, socordiae magis quam ignorantiae speciem prae se ferre, et in iis diiudicandis rationem habendam esse temporum et rerum, cum et illorum saeculorum homines talia minus curasse videantur, et omnia illa inaccurate vel neglegenter expressa occurrant in opere postumo, cuius editioni et ultimae emendationi auctor ipse praeesse non potuerit. Cavendum igitur est, ne in iudicio de linguae Latinae peritia ferendo nimis huiusmodi vitiis tribuamus, praesertim cum sat multa exstent indicia, unde efficiatur philosophum in lingua Latina haud mediocriter versatum fuisse. Immo haud temere affirmari potest, nostrum Latinam linguam adeo calluisse, ut, quae significare vellet, et recte et commode, interdum, si res ita ferret, etiam eleganter explicare polleret; comparatis autem aequalium literis apparet eum, etsi vix supra turbam se extollat, tamen neque inter ultimos delituisse et, ut verbo dicam, Spinozam hac in re eundem fere gradum scientiae consecutum esse, quem eorum temporum eruditi homines vulgo obtinuisse existimandi sunt. Quod autem ad Latinitatem et sermonis genus, quod adhibuit Spinoza, attinet, neque in his eum multum ab aequalibus discrepantem deprehendimus, quippe qui usus sit Latinitate illa satis copiosa et variata neque nimis arctis legibus astricta, quae tunc temporis inter viros doctos communis fuisse videatur, ita ut fere vulgata vocari possit.

Quodsi quis rogat, num omnino nihil sit, quod philosopho nostro tamquam proprium vindicandum sit, hoc habeo, quod ei respondeam, quod orationi Spinozae saltem aliquatenus peculiare quoddam et proprium decus asserat et idem denuo moneat, quanto melius ille et interius, quam nonnullis visum est, Latinos auctores noverit. Etenim in Ethica passim voces vel integrae quoque sententiae inveniuntur, quas ex Terentio comico mutuatus esse et in suum usum vertisse videtur philosophus. Qui loci et tam frequenter occurrunt et tam intime cum ipso contextu cohaerent et connexi sunt, quippe qui plerumque interpretes effugisse videantur, ut nolim de flosculis cogitare a magistro traditis, neque de versibus illis vulgatis, qui unicuique in ore esse solent, sed ut potius de interiore notitia et continuata lectione, immo de eximio quodam favore, quo comicum prosecutus sit, cogitandum esse videatur.

Praecipua apponam. Conferatur, si placet, Eth. IV, 45, schol. 2: „mea haec est ratio et sic animum induxi meum" (Eth. III, praef.: „mea haec est ratio,") cum loco, qui legitur Terent. Adelph. 68:

„Mea sic est ratio et sic animum induco meum:
Malo coactus qui suom officium facit,
Dum id rescitum iri credit, tantisper pavet;
Si sperat fore clam, rursum ad ingenium redit."

Vides ipsa poetae verba servato metro apud nostrum occurrere; nec non versus quarti pars prior

Eth. III, aff. def. 48, expl.: „ambitiosus autem, *modo speret fore clam*, in nulla re sibi temperabit"; pars autem posterior Eth. V, 41, schol.: „at contra si crederent, mentes cum corpore interire, *ad ingenium redirent*" repetitur.

Secundum exemplum sit ex Eunucho, ex ῥήσει illa Gnathonis parasiti, quam utpote longiorem totam exscribere vix opus est; tamen ea, quae in nostram rem faciunt, apponam:

232. Di immortales, homini homo quid praestat? Stulto intellegens
Quid interest? . . . .
. . . .
247. Hoc novomst aucupium: ego adeo hanc primus inveni viam.
Est genus hominum, qui esse primos se omnium rerum volunt,
Nec sunt. . . . .
. . . .
254. PA. Scitum hercle hominem: hic homines prorsus ex stultis insanos facit.
. . . .
262. . . . . sectari iussi,
Si potis est, tamquam philosophorum habent disciplinae ex ipsis
Vocabula, parasiti ita ut Gnathonici vocentur."

Cum his versibus comparentur Eth. IV, 17, schol.: „ut inde concludam praestabilius esse ignorare quam scire, vel quod *stulto intelligens* in moderandis affectibus *nihil intersit*"; Eth. IV, 71, schol.: „gratia . . . .

mercatura seu *aucupium* potius quam gratia plerumque est", ubi vox illa satis rara transversum egit interpretem Batavum, de qua re cf. Land l. l. p. 8; porro Eth. IV, 57, schol.: „et eorum tantummodo praesentia delectari, qui animo eius impotenti morem gerunt et *ex stulto insanum faciunt*"; denique Eth. IV, app. 25: „qui reliquos consilio aut re iuvare cupit, ut simul summo fruantur bono, is apprime studebit, eorum sibi amorem conciliare, non autem eos in admirationem traducere, ut *disciplina ex ipso habeat vocabulum*," 1) celeber ille locus, quem attulerunt editores Editionis Principis aliique ad explicandum, cur auctor nomen suum operi praefigi noluerit.

Postremo citetur locus, qui legitur Heaut. 961:

> „Ubi te vidi animo esse omisso et suavia in praesentia
> Quae essent, prima habere neque consulere in longitudinem". etqseqq.

Ad quem alluditur Eth. IV, 16, prop.: „rerum cupiditate, quae in praesentia suaves sunt, coerceri potest"; quique ipsis verbis adhibetur Eth. IV, app. 30: „ad quod accedit, quod ex affectu id primum habeamus, quod in praesenti suave est", ita ut confidenter in ultimo loco „in praesenti*a*" restituas.

Nec desunt minora. Sic Eth. IV, 54, schol. in loco male habito: „nam si homines animo impotentes aeque omnes superbirent, nullius rei ipsos puderet,

---

1) Cf. etiam Tract. Pol. VIII, 3: „ita ut civitas sive respublica ex eadem habeat vocabulum".

nec ipsi quicquam metuerent, quo vinculis coniungi constringique possent" aperte alludit auctor ad Adelph. 84:

„quem neque pudet
Quicquam nec metuit quemquam neque legem putat
Tenere se ullam."

deinde Eth. III, 2, schol.: „qui praeterea contrariis affectibus conflictantur, quid velint, nesciunt; qui autem nullo, facili momento huc atque illuc pelluntur" (cf. etiam Tract. Theol. Pol. praef.); ubi citatur versus notus ex Andria 266:

„dum in dubiost animus, paulo momento huc vel illuc
inpellitur."

Porro haud paucae sunt locutiones breviores vel vocabula, quae ex Terentio mutuatus est noster; ex. gr. Eth. IV, app. 28: *operas mutuas tradere*, cf. Phormio 267; III, aff. def. 48 expl.: *et quo se vertat, nesciat*, cf. Heaut. 946; IV, app. 29: *se magnifice efferre*, cf. Heaut. 907; I, 33, schol. 2: *animum ad cogitandum instituere*, cf. Phormio 240; IV, app. 13: *militatum confugere* cf. Adelph. 385; IV, app. 14 et V, 41, schol.: *ex sua libidine moderari*, cf. Heaut. 256; III, 23, schol. et III, aff. def. 11: *laetitia solida*, cf. Andr. 647; IV, 50, schol.: *recte nosse*, cf. Andr. 10. Neque dubito, quin supersint, quae me fugerint. 1)

---

1) Ex Tract. Pol. addi possunt: VII, 11, nervos intendere suos, cf. Eun. 312; VII, 30: nam inscitia est contra stimulos calces mittere, cf. Phormio 77; et imprimis VII, 27: „unde est, ut duo cum idem

Quae autem attuli, sufficere videntur, quippe quae satis clare, credo, evincant, vix cogitandum esse de flosculis, de locutionibus, quas noster vel a magistro didicerat vel ab alio acceperat, sed de domesticis auctoris nostri copiis, comparatis nimirum ex continua lectione et intima illa antiqui scriptoris consuetudine, quae fere sponte verba et locutiones suggereret, hic illic vel integros versus in mentem revocaret.

Iam si quis miretur, qui factum sit, ut in opere severo, quale est Ethica, ad poetae potissimum versus et sententias alludatur, is audiat Baconem in libro illo de Augmentis Scientiarum lib. VII, c. 3. In quo scriptor in adumbranda doctrina de cultura animi, postquam questus est partem de Characteribus Ingeniorum sive Dispositionum a plerisque scriptoribus Ethicis neglectam vel praetermissam esse, harum rerum studiosos relegat ad astrologos, ad poetas (heroicos, satiricos, tragicos, comicos), apud quos „sparguntur ubique simulachra ingeniorum, licet fere cum excessu et praeter modum veritatis ...... At longe optima hujus tractatus suppellex et sylva peti debet ab Historicis prudentioribus." Nec non ad doctrinam de affectibus et perturbationibus pergens, spretis iam Aristotelis et Stoicorum dissertationibus, quippe quae has res

---

faciunt, saepe dicamus, hoc licet impune facere huic, illi non licet, non quod dissimilis res sit, sed qui facit" ubi fere ad verbum repetitur Adelph. 823:

„Duo quom idem faciunt, saepe ut possis dicere
'Hoc licet inpune facere huic, illi non licet',
Non quo dissimilis res sit, sed quo is qui facit."

non nisi perfunctorie tractaverint, haec exhibet: „Sed si verum omnino dicendum sit, doctores hujus scientiae praecipui sunt Poetae et Historici; in quibus ad vivum depingi et dissecari solet, Quomodo Affectus excitandi sunt et accendendi? Quomodo leniendi et sopiendi?" etqseqq. Itaque non fortuna quaedam sed res ipsa et argumentum, quod sibi tractandum proposuerat philosophus, eum ad poetas tamquam ad optimos peritissimosque magistros deduxisse putanda sunt.

Qui autem factum sit, ut praeter ceteros comicum Romanum tam eximie dilexisse et fovisse appareat noster, optime ex vita ipsa philosophi explicatur. Etenim teste Meinsma l. l. p. p. 134 seqq. ea fuit methodus docendi, quam adhibuit magister v. d. Enden, ut comoedias Terentii, nimirum ad interiorem consuetudinem linguae Latinae contrahendam, perdiscendas discipulis traderet, deinde in scena agendas curaret. 1) Immo ipsis iis annis, quibus Spinoza disciplinae v. d. Enden interfuisse et magistri contubernalis fuisse traditur, incidit, ut in publicam scenam prodirent duae fabulae Terentii: sc. Andria d. 16 et d. 17, m. Ian. 1657 et Eunuchus d. 21 et d. 22, m. Mai. 1658, idque partes agentibus discipulis v. d. Enden. Quae res quantos excitaverit hominum rumores quantamque accenderit offensionem, perlegat quis apud Meinsma, qui nullus dubitat, quin illis spectaculis

1) Conferatur insuper Meinsma l. l. p. 202.

et ipse Spinoza interfuerit. Itaque his omnibus satis commode explicari posse confido, cur Terentii potissimum versus tam pertinaciter memoriae nostri inhaesisse videantur. 1)

Fieri tamen potest, ut etiam altera causa accesserit, quae fortuitam illam, quam casus externi iunxerant, notitiam quodammodo sanxerit et in arctiorem quandam et interiorem amicitiam coalescere fecerit. Etenim in comici fabulis perlustrandis facere non possum, quin admirer, quam egregie interdum γνῶμαι illae vel sententiae, quibus poeta orationem distinxerit et exornaverit, conveniant et quadrent cum ipsa philosophi doctrina de hominum moribus deque vita recte instituenda.

Longum est omnia persequi. Relegat tamen quis ex. gr. locum, quem supra laudavimus ex Adelphis vs. 68, qui sic incipit:

---

1) Notandum, quod in catalogo librorum Spinozae, quem novissime edidit v. c. J. Freudenthal in libro „die Lebensgeschichte Spinoza's" p. p. 160 seqq., cum Taciti, Livii, Sallustii, Curtii opera, item Plautus, Vergilius, Ovidius, Seneca, Martialis, Ciceronis et Plinii Secundi epistulae, Petronius quoque, nec non liber „Phrases Virgilianae et Horatianae" occurrant, desideratur tamen Terentii comoediarum exemplar.

Unde confirmatur opinio, omnia illa, quae ex Terentio desumta notavimus, revera Spinozae menti inde ab adulescentia tam penitus inhaesisse, ut ille ex sola memoria, nullo subsidio adhibito, integra poetae verba depromere et scriptis suis inserere valuerit.

Tamen vide, quae de illius catalogi lacunis et omnino de cautione, quae adhibenda est, dum ex librorum catalogo de philosophi scientia et lectionibus coniecturam facimus, post Meinsma egregie admonuit Freudenthal l. l. p. 288.

„Mea sic est ratio et sic animum induco meum:
Malo coactus qui suum officium facit,
Dum id rescitum iri credit, tantisper pavet:
Si sperat fore clam, rursum ad ingenium redit."

Deinde pergit:

„Ille quem beneficio adiungas ex animo facit,
Studet par referre, praesens absensque idem erit.
Hoc patriumst, potius consuefacere filium
Sua sponte recte facere quam alieno metu:" etqseqq.

Relegat quis, aio, hunc vel alium, quem supra citavi, locum vel omnino quamvis comici fabulam et facile, quid velim, percipiet: nempe locos illos sive praecepta moralia continent, sive declamationes animi rerum humanarum expertissimi, sapientiae denique illa frustula, quae poeta sermonibus interposuit, nonnumquam quam proxime accedere ad ea, quae philosophus de natura humana et vita bene dirigenda tradiderit.

Neque fortasse re propius considerata est, quod adeo mireris. Ea enim est animi lenitas et temperantia, qua comicus res humanas contemplatus est, et placida aequanimitas, qua usus est in humanis affectibus depingendis; ea porro est eius ars, quae, dum varia hominum ingenia, studia, actiones variosque vitae casus illustrare conatur et „reddere personae studet convenientia cuique", sine ira et studio et quasi obiective humanam naturam eiusque vires et imbecillitatem et varios affectus, quibus conflictamur, proponit, ut vix mirandum sit, comici profanam et quasi empiricam sapientiam toties convenire cum placitis

illius philosophi, qui res humanas tamquam naturales contemplari consueverat.

Sed haec, utcumque sese habent, missa facio. Quod autem praecipue in libro IV, et in affectuum definitionibus libri III, scilicet ubi auctor varia affectuum genera enumerat, distinguit, illustrat, plurima indicia interioris illius consuetudinis cum comico contractae et vestigia reperiuntur, ne id quidem, perlectis iis, quae ex Bacone attulimus, cuiquam, opinor, mirum videbitur. Habet enim hoc comoedia, ut in hominibus in scenam proferendis aetatum, generis, fortunae, morum denique discrimina quam maxime distincta et incorrupta servare laboret, immo ut talia urgeat nonnumquam, „fere cum excessu", ut est apud Baconem, et, dum singulas personas praecipuo cuidam et quasi unico vitio obnoxios et oboedientes effingere amat, variorum vitiorum vel ingeniorum tamquam exempla vel typos proponere studeat. Itaque hac quidem in re comoedia satis convenit et conspirat cum argumento, quod sibi in libro IV tractandum decreverat philosophus. 1)

---

1) Simili modo in Tractatu Politico, cuius argumentum praecipue historias respicit, passim non tantum nominatim rerum scriptores laudantur, sed etiam interdum verba ipsa interiunguntur, nomine nullo adscripto. Quod imprimis in Tacito factum esse videtur. Ex quo unum locum deprehendisse videntur editores antiqui, qui eum cursive, nullo tamen nomine adposito, expresserunt, sc. VII, 21. Addi possunt VII, 7: „unde domum nihil praeter gratuitas cicatrices referre poterunt"; quae sunt verba ipsa Hermolai apud Curtium Rufum VIII, 7. Porro VII, 12: „prehensare manus, iacere

Immo, (ut plane dicam, quae sentiam,) non tantum vocabula et versus in suam rem facientes interdum a comico mutuatus esse videtur philosophus, sed haud raro etiam res ipsas et argumenta fabularum respexisse, ita ut hic illic non tam suae aetatis homines et instituta quam res antiquae ei ante oculos versatae esse et pro experientia, quae vocatur, fuisse videantur, unde ea, quae theoretice deduxisset, illustraret vel probaret. Ex. gr. cum in Ethica *parasitorum* mentio fit, comoediae antiquae notissimam et fere sollemnem personam agnoscere malim, quam nescio quos Spinozae aequales. Quod idem valet de *meretricibus*, dummodo hanc vocem recte et eo, quo solent antiqui, usu, sc. de mulierculis illis satis cultis et elegantibus interpreteris neque putes me contendere Spinozae temporibus omnino defuisse homines,

---

oscula et omnia servilia pro dominatione agere", verba petita ex Tacito Hist. I, 36; deinde VII, 27: „nempe quod in vulgo nihil modicum terrere, ni paveant, et quod plebs aut humiliter servit aut superbe dominatur nec ei veritas aut iudicium." cf. Tacit. Ann I, 29; ibidem: „ubique veritas plerumque infringitur ab infensis vel obnoxiis." cf. Tacit. Hist. I, 1. Denique VII, 29: „et alia hujusmodi, quae quanto magis utilitatis imagine teguntur, tanto ad infensius servitium erumpunt" cf. Tacit. Ann. I, 81.

Praeterea complures singulae voces notari possunt, quas ex Tacito vel Sallustio vel aliis quoque scriptoribus hauserit et in suum usum converterit noster; et omnino Tractatus Politicus, cuius argumentum styli genus liberius admittit et ornatius, eximium specimen et documentum praebet ad cognoscendum, quam egregie antiquos scriptores noverit Spinoza et quid ipse in Latine scribendo valuerit.

quibus aliorum mensas circumire studium erat, vel feminas corpore suo quaestum facientes. 1)

Porro cum philosophum tam fuse de *superbo* agentem deprehendimus, minime absonum erit, in his quoque vocabulum et exemplum fere classicum suspicari, scilicet eius vitii, quod praecipue in antiquis illis civitatibus et antiqua illa vera libertate tamquam invidiosissimum reprehendi et coerceri solebat.

Nec non cum nostrum toties de *avaro* verba facientem invenio, notissimum et omnium frequentissimum typum, quem antiqui scriptores in exemplis vel declamationibus moralibus praeter ceteros in deliciis habuisse videntur, deprehendisse mihi videor atque eo magis, cum lego (Eth. III, aff. def. 48 explic.) de avaro illo, qui, „divitias in mare proiciat," quod antiquitatem plane redolet.

Denique quam aperte nonnumquam philosophus, praeterquam quod ipsa poetae verba attulit, etiam res ipsas antiquas respexerit, optime intellegitur ex Eth. IV, app. c. 13: „ut pueri vel adolescentes, qui parentum iurgia aequo animo ferre nequeunt, militatum confugiunt, et incommoda belli et imperium tyrannidis prae domesticis commodis et paternis

---

1) Haud illepide Martineau l. l. animadvertit, Spinozam non adeo multa verba facere de feminis; pauca autem illa, quae de iis exhibet, talia esse, ut ampliora vix desideres! — Vide tamen, quam facile excusetur et explicetur haec reprehensio, si admittas Spinozam non tam aetatis suae quam comoediae antiquae personas et mores introduxisse.

admonitionibus eligunt." Verba partim ex Terentii Adelph. (v. 385) petita sunt, et facile etiam argumentum quoddam comicum agnoscas; quod autem ad rem ipsam attinet, conferantur ex. gr. interpretes ad Terent. Phorm. vs. 243, qui docent consuetudinem hanc „militatum confugiendi" fuisse aetatis Diadochorum; quem morem Menander et per Menandrum Terentius in comoedias suas introduxerit. 1)

Atque haec sunt, quae de Spinozae Latinitate et sermonis genere disputanda habui. De stylo autem proprie dicto si iam in fine dissertationis ea, quae hactenus sparsim interiecta vel succinctius expressa sunt, comprehendere et in uno conspectu proponere liceat, haec sunto. 2) Scribit Spinoza simplici et

---

1) Dubitari potest ex. gr. de Eth. IV, 45, schol. 2: „odoribus et ludis exercitatoriis," quamquam et hic potius res antiquas quam Spinozae aequales designari crediderim.

2) Quod de eius scribendi genere iudicium tulerunt Editt. Ed. Princ., qui tractatum de int. em. „testibus *et stylo* et conceptibus iam multos ante annos conscriptum" pronuntiaverunt; sc. in quo „multa obscura, rudia adhuc et impolita occurrunt;" contra tract. Pol. laudaverunt, in quo essent „stylus clarus et accuratae cogitationes;" haec omnia magis utriusque operis argumentum quam ipsum stylum respicere videntur. Etenim ne in tractatu quidem de int. em. auctoris solitam luciditatem et perspicuitatem desiderari existimo, dummodo ratio habeatur „ponderis operis profundarumque meditationum". Igitur si iam tractatus ille interdum difficilior intellectu exstiterit, vix est, quod miremur, scilicet in opere, quod uno tenore, perpetua et non interrupta ratiocinatione, compositum sit, neque hac in re provocandum est ad Ethicam, cuius „prolixiorem ordinem" ipse auctor saepius professus est.

In tract. Pol. argumentum multo facilius sibi tractandum propo-

presso et directo illo scribendi genere, quod convenit auctori, qui argumento unice intentus rem suam agere neque lectorem oblectamentis detinere studet, quique ideo brevitati et perspicuitati cetera omnia postponere constituit. Brevitati se studere et ipse disertis verbis passim confessus est et implicite innuit, dum methodi mathematicae prolixitatem conqueritur. Itaque stylo aliquatenus concitatiore scribit, semper instans sibi et ad eventum festinans et in ipsis digressionibus haud raro sese corripiens.

Perspicuitatem autem et rerum lucidum ordinem, quae tamen neque conceptuum profunditatem neque subtilitatem excludant, principes et primarias nostri virtutes fuisse, nemo, puto, negabit et omnium minime is, qui in quovis loco intricatiore perpendendo, postquam semel sensus ei illuxit, verborum ordinem et connexionem, quantum rerum gravitas admiserit, lucidissimam esse comperit. Quantum porro operae auctor dederit, ut sententiam suam lectori quam planissime exprimeret, vel inde elucet, quod haud raro in effingendo loco quodam difficiliore vel ratiocinio maioris momenti deducendo, cum semel sibi satisfecisset et optimam et, ut ita dicam, adaequatam redactionem invenisse sibi visus esset, hanc servare et retinere et, cum opus esset, etiam alibi

---

suerat scriptor, ita ut et res ipsae et conceptus multo lenius procedant et auctori in exornanda oratione magis sibi indulgere licuerit. De qua re cf. quae supra pag. 33 notavimus.

tamquam sollemnem et unicam formulam adhibere amaret.

Hinc oratio eius exsistit simplex, inornata, ingenua, quae, dum delicias et artificia minime sectatur, tamen habet suam propriam et, ut ita dicam, nudam et tersam elegantiam, quae hic illic exquisitiore antithesi vel feliciore verbo splendescit, alibi leni urbanitate et lepore temperatur; quae interdum admirabilem illam serenitatem respirat et placidam aequitatem; denique, quae semel vel bis, argumento ipso verba rapiente, ad praeclaram sublimitatem exsurgit.

II.

In dissertatione, ad quam in parte priore saepius lectorem relegavimus, de editionibus et contextu Ethicae, v. cl. Land paullo fusius egit de fide, quae habenda est editoribus primis in Ethicae et omnino Operum Posthumorum textu constituendo. Verba autem viri acutissimi huc fere redeunt: cum ipse auctor, praematura morte abreptus, operibus suis edendis praeesse non potuerit, mirum non esse, quod in editione ab amicis confecta nonnulla aut ab ipso auctore neglegentius expressa, aut ab editoribus male intellecta vel socordius procurata exhibentur; et tamen hanc socordiam excusandam esse cum propter Mss. parum nitidam condicionem tum ob Editionis Principis festinationem, quae intra eundem, quo obiisset philosophus, annum in lucem prodierit. Quae cum ita sint, interdum coniecturis locum esse ad indaganda et eruenda ea, quae ipse auctor, si fata voluissent, editurus fuisset.

Haec v. cl. Land, qui, quae argumentis commendaverat, re probavit, florilegium subnectens locorum,

quos vel ipse emendavit vel ab aliorum conatibus vindicavit; deinde in editione Hagana idem consilium fideliter et feliciter observavit.

Tamen etiam post alteram Haganam editionem locum esse manui emendatrici, probaverunt interpretes recentiores I. Stern, qui aliquot Spinozae opera Germanice, W. Meyer, qui plurima in nostram Batavam linguam vertit. Quorum hic complures locos sagacissime tractavit, nonnullos transposuit vel in dubium vocavit, interdum etiam verba ipsa auctoris feliciter correxit. Ex quibus hanc coniecturam exempli causa afferre liceat: Eth. II, app.: „quod ut clare intelligatur, concipiamus puerum equum imaginantem nec aliud quicquam percipientem" ubi „equum [alatum]" feliciter iniunxit interpres, fortasse non tam Editionem Principem, quam ipsum Spinozae Ms. corrigens. Porro conferri possunt, quae disputantur ad Eth. III, 26, et 27; V. 38, et passim.

Ex Sternii autem copiis haec depromere liceat: de int. em. 19, nota: „nihil de causa intelligimus *propter* id, quod in effectu consideramus" ubi „*praeter*" restituit; Eth. III, 48, dem.: „quia scilicet Petrus hujus vel illius *effectus* causa esse consideratur" ubi „*affectus*" corrigit Stern; cum et Versio Belgica utramque emendationem disertis verbis agnoscat et sententia ipsa utrobique tam manifesto medicinam reclamet, ut fere mireris vitia illa tam diu viros doctos effugere potuisse.

Quae cum ita sint, haud inutile videtur de Editione

Principe denuo agere et de subsidiis, quae ad textum constituendum praesto sunt, pauca proponere.

Ad cognoscendum autem statum et condicionem contextus Operum Posthumorum lectorem praeter ea, quae iam enumeravimus, delegatum velim ex. gr. ad Ep. XIX; quem locum ideo elegi, quia haec epistula est ex iis, quarum exemplar, ab ipsius Spinozae manibus profectum, servatum et a L. editum est. In media autem epistula haec leguntur: „— nullam poterimus invenire imperfectionem; imo cum infinitis aliis comparare respectu illius longe *perfectioribus* uti lapidibus, truncis etc. licet." Deinde paullo infra: „— nam praeterquam quod magnam in Deo poneret imperfectionem, si quicquam contra ejus Voluntatem fieret ......; etiam omnino cum *voluntate Divinae naturae* pugnaret." Denique: „non vero quatenus malum erat: nam malum, quod in eo erat, non erat aliud quam *privationis status*, quem propter illud opus Adamus amittere debebat." — Quae omnia in exemplari Batavo Spinozae, quod Land speciminis causa subnexit, sic leguntur: „Ja, men kan het vergelijke met oneindlijke andere dingen, die ten opsicht van dat veel *onvolmaakter* sijn, gelijk steenen, blokken enz." tum „— want behalve dat het een groote onvolmaakthijt in got zou stellen, dat 'r iet tegen sijn wil sow geschieden — het sow ook teenemaal tegen *de natuur van gots wil* streidig zijn;" denique „maar niet voor so veel het quaat was, want het quaat dat 'r in was, niet dan *een berooving van een volmaakter*

staat was"; quae singula haec significant „respectu illius longe *im*perfectioribus"; „cum volunta*tis* Divinae natur*â*, „non erat aliud quam priva*tio perfectioris status.*"

Quam manifesto et in quam gravibus rebus Ed. Pr. et autographon hic inter se discrepent, etsi is demum, qui totam epistulam relegerit, plane persentiet, tamen etiam vel sic elucet; cum autem ipsius Spinozae verba habeamus, vix demonstratione opus esse videtur, qua probemus genuinas lectiones in autographo solo servatas esse. Tamen ipsa quoque sententia in loco primo tam aperte negationem flagitat, ut iure mireris viros doctos tam diu in tradita lectione acquievisse. 1) In loco secundo nihil opus est quaerere, quidnam esset illa „voluntas divinae naturae" subobscura, neque monere in tradita lectione totius loci nervos incidi, (quod facile apparet, dummodo verba artius componantur: „praeterquam quod magnam in Deo poneret imperfectionem, si quicquam contra ejus Voluntatem fieret — etiam omnino cum Voluntate Div. naturae pugnaret") cum totus locus plane indicet agi de „natura voluntatis Divinae" atque ita et ratiocinium recte procedat et locus sit illi *κλίμακι* vel gradationi, quae instituitur per illud „omnino." Denique in tertio loco vel unicum, quod sequitur, relativum „quem" rem conficit et lectionem Batavam vindicat, cum

---

1) Vide tamen Meyer in versione Batava epistularum Spinozae p. 104 et 105.

Adamus minime privationis statum sed perfectiorem statum amisisse censeatur.

Igitur si iure genuinas lectiones ex Spinozae exemplari Ms. eruimus et corruptelas in Ed. Princ. arguimus, veniunt haec observanda. Primum vitia illa occurrere in parte difficiliore epistulae. Etenim conspicuum est, quo difficilius et profundius quodvis ratiocinium vel disceptatio esset, eo prius editores, philosophicae doctrinae minus peritos et insuper festinantes, cum sententiarum nexum et conceptuum ordinem vix assequerentur, lapsos esse et aliquid turbasse; idque iis ipsis locis, ubi recta lectione quam maxime opus esset.

Eodem pertinet, quod secundo loco animadversum velim; sc. in voce *perfectioribus* pro *imperfectioribus* tradita negationem omissam esse. Mira enim res est atque unice apta ad auctoritatem Ed. Princ. illustrandam, quod nulla fere vox frequentius omissa esse videtur, quam illud *non*, vel alia eiusmodi negativa, quibus tamen vix quicquam gravius excogitari potest, imprimis in auctore disputante, qui correpto et astricto stylo ratiocinatur. Quam in rem conferri possunt de int. em. 31, (not.); 46; 54; Eth. IV, 12, coroll. dem; porro Eth. III, aff. def. 48, ubi pro *castitati*, *libidini* restituendum videtur, et Eth. III, 30, schol. ubi voces *internae* et *externae* turbatae videntur. Ex epistulis addi possunt loci hi: ep. XX, ubi bis *non* inserit Meyer, favente Vs. Belgica alteri emendationi; ep. XLII: „iste homo se Deistarum finibus includit et minores

cultus partes hominibus superesse sinit" ubi Meyer, favente Vs. B. „superesse *non* sinit" inserit, equidem *et* in *nec* mutare malim; ep. LVI, ubi Meyer, praeeunte Vs. B. „*nullam* inveniet difficultatem" correxit; ep. LXVII, ubi Land pro *unquam nunquam* edidit; ep. LXXVI, ubi idem „deque *non* interrupta," inseruit. Nec desunt alia. Itaque Land, qui in dissertatione (p. 21) illud „*non*", quod Eth. IV, 12 sustulerat, anxie reservavit, ut idem in locum de int. em. 46 transponeret, (nimirum prudentem quendam horticum agens, qui tenellum surculum hinc eruit, ut illic inserat), ipse inquam Land in editione sua, urgente re ipsa, plerisque, quos enumeravimus, locis negationem inserere vel eximere coactus fuit. 1)

---

1) De negationibus iam ipsius Spinozae aetate turbatis cf. quae ipse conqueritur ep. LXXII: „— vel in tua epistola vel in ipsius exemplari errorem festinantis calami esse credo. Nam scribis in prop. 5 *affirmari*, ideata esse causam efficientem idearum, cum tamen hoc ipsum in eadem propositione *expresse negetur*," etqseqq. Cf. etiam ep. LXXIII. „Sive materiam corpoream intelligunt" ubi in exemplari Gerhardtii „*in*corpoream" exhibetur.

Praeterea operae pretium est monere, interdum negationes, imprimis cum rhetorice accumularentur, sententiam, ut fit, ita impedivisse, ut ipsi scribentes vix se extricarent. Sic in ep. L, Spinozae ipsius: „Librum ...... lectu, multo minus responsione indignum judicabam" ubi auctorem pro *minus*, *magis* voluisse videtur; ep. LXIII, ubi in autographo Schulleri rectissime Land inseruit „quem ipse eisdem non solum [non] ademit, sed rationes addidit." — Similiter ep. LXXIX in autographo Oldenburgii haec leguntur: „Subjungis, posse homines esse inexcusabiles et tamen multis modis cruciari," cum tamen unice „excusabiles" aptum praebeat sensum et in epistula praecedente, ad quam alluditur, disertis verbis

Tertium genus errorum, quod ex eodem fonte originem traxit, sc. ex eo, quod editores auctoris verba parum assequebantur, interpunctio est turbata. Neque hic illum interpungendi morem volo, quem Spinozae proprium fuisse Land l. l. p. 15 perhibet, quique lectori vix moram iniciat, sed tales locos, ubi interpunctio prava ordinem sententiarum et ratiocinii processum turbaverit et lectori impedimento esse possit. Ex. gr. vox *quandoquidem* hic illic editores transversos egit, qui eam, etsi satis frequentem apud nostrum, tamen interdum adverbii loco habuisse videntur; cf. Tract. Pol. VIII, 1, ubi Ed. Princ. et item Land: „— imperium tamen aristocraticum omnino erit. Quandoquidem nulli" etqseqq., quae iam Bruderus melius per comma interpunxerat. Simili vitio laborat de int. em. 86: „conveniant. Quandoquidem" et 100: „existat. Quandoquidem", quem utrumque locum rectius per comma distinxit Vs. Belg. Idem autem occurrit in voce *caeterum*, Tract. Pol. II, 16:

---

haec legantur: „possunt quippe homines *excusabiles* esse et nihilominus beatitudine carere."

Denique huc spectare videtur, quod Vs. B. in Corrigendis, (ubi haud raro negativa quoque particula restituitur) ad ep. LI „Certum est, nempe quod, *si fatearis ea existere*, non tamen credas, quaedam eorum esse animas mortuorum," quae verba satis recte reddebantur per: „Een zaak is zeker, te weten dat, *zoo gij niet ontkent dat zij 'er zijn*, gij ook niet gelooft, dat enigen van de zelfden zielen van gestorve menschen zijn," tamen deinceps, sententia ob seriem negationum minus perspecta, particulam negativam tollendam putat et: „zo gij ontkent," scribendum esse iniungit.

„concedit ius. Caeterum" pro „concedit ius, caeterum," quod exstat in Vers. Belg.; in voce *videlicet* Eth. II, 40. Schol. 1, „equis, canis etc. Videlicet" cf. Vs. Belg.; in voce *ergo* Eth. V, 29, dem. „pertinet. Ergo" ubi tacite Editionem Princ. correxit Land; porro conferantur ep. XLIII. „Quod autem ad ipsos Turcas et reliquas gentes attinet. Si," quod iterum tacite emendavit Land; ep. LXIII: „crucem lectoribus fixere. Cum tamen", quod correxerunt Bruder et Meyer; ep. IX, ubi Ed. Princ. „— emere debere. Aliquisne sanae mentis" etqseqq. exhibet, cum Vs. Belg. et ipsum Spinozae autographon recte per; vel, interpungant, ita ut hic quasi in ipso errore committendo deprehendantur editores primi. Denique huc spectat, quod editores nonnumquam minus perspicue ante *quod*, cum non ad unam tantum vocem, sed ad totam, quae praecessit, sententiam respicit, comma pro . vel; posuerunt. Cf. Tract. Pol. III, 3, „ratio, quod sane" etqseqq. ubi L. tacite „ratio; quod" correxit; porro de int. em. 3, „mutaretur, quod," Eth. II, 47, schol. „solent, quod homines," Ep. XXI, „affingam, quod nemo," quibus omnibus locis melius per; distinguitur favente ubique Vers. Belgica.

Haec de editoribus primis. Quae impraesentiarum sufficere videntur, cum satis clare demonstrent diffidendum esse interdum Editioni Principi neque frustra viros doctos, quos laudavi, argumentis et exemplis monuisse haud raro in textu Operum Posthumorum restituendo ad coniciendi artem refugiendum esse.

Iam si circumspicimus subsidium aliquod, ad cuius normam lectiones Ed. Princ. exigamus, eo consilio, ut collatione facta tandem, si fieri potest, ad auctoris ipsa verba accedamus, praesto est illa Versio Belgica, quae curante I. H. Glasemaker eodem, quo Opera Posthuma, anno prodiit. De qua egit Land l. l. p. 8 et in praefat. Ed. Hag. p. VI; qui eam ex ipsis Spinozae Mss. factam esse contendit, fretus locis, quales sunt Eth. IV, app. 25, ubi Vs. Belg. numerum addidit, et Eth. IV, 70, ubi prave *ignavi* pro *ignari* exhibet, 1) quod vitium ex ipsius Spinozae scriptura minus perspicua ortum esse videtur. Quae si iure statuit L., neminem fugit, quantum auctoritatis Vers. Belgicae accedat, itaque operae pretium videtur pauca addere et uno alteroque exemplo iudicium, quod tulit L., corroborare.

Primum igitur statuendum est, Vers. Belgicam per tota Opera Posthuma passim additamenta exhibere, id est voces vel sententias, quae in Ed. Princ. non occurrunt; quae, etsi non omnia maioris momenti sunt, ita ut cuncta recensere vix huius sit loci, tamen minime dissimulandum est unumquodque fere additamentum per se sufficere ad evincendum versionem illam non ex Ed. Princ. ipsa vel ex eius schedulis prelo commissis, sed ex ipsius auctoris Mss. confectam esse. Unum et alterum annotabo. Ep.

---

1) Fatendum tamen est in Corrigendis Vs. Belg. ubique rectam lectionem „onkundigen" pro „bloden" restitui.

LXXX, in fine 1) talia fere addit Vs. Belgica: „Porro ex Domino Leibnitzio cognovi fore, ut praeceptor Delphini Galliae, nomine Huetius, vir excellentis doctrinae, libellum componat de veritate Religionis Humanae et Tractatum tuum Theologico-Politicum refutet. Vale." — Quae omnia omissa sunt ab editoribus Ed. Princ.; quod eo magis mireris, quia in responsione Spinozae, quam tamen integram ediderunt Edd. primi, Ep. LXXXIII: „tractatum D. Huet, *de quo antea scripsisti*," aperte ad verba praecedentia alluditur.

Simili modo ex. gr. Eth. II, 48, schol. in fine haec addita: „sed cogitationis conceptus intelligo, *sive esse objectivum rei*, *quatenus tantum in cogitatione exsistit*," ex quibus formula *esse objectivum* etiam in lemmata Versionis recepta est; porro de int. em. 56: „Hoc, inquam, fingere possumus, quamdiu nullam videmus impossibilitatem *et nullam necessitatem*," ultima voce item in lemmate appicta; denique Tract. Pol. VI, 33: „— non autem ex regis domestico aerario. *Sed tales speculatores eligendi sunt, qui regi periti videbuntur.*" 2)

---

1) Cf. etiam Meyer in versione Epp. p. 370 et 390.

2) Praeterea conferri possunt, ut maiora tantum enumerem: de int. em. 7: „eorum, qui ea possident (*si fas est ita loqui*);" Eth. II, 10, schol. 2, „nam meum intentum *non tam* fuit *illis contradicere*, *quam* causam reddere;" lemma 3, coroll: „a causa externa, a qua *corpus motum* ad quiescendum determinatum fuit;" lemma 6, dem. „— formam ipsius constituere diximus, *vide def. ante lemma* 4;" lemma 7, dem. „Patet *etiam* ex ipsius definitione." Eth. II, 47,

His, opinor, satis elucet Versioni Belgicae propriam addicendam esse auctoritatem, quippe quae ex schedis Spinozae et fere suo Marte confecta, ipsas Mss. lectiones interdum referre censenda sit. Ut autem appareat, quantum lucremur hoc subsidio comparato, vix opus est in memoriam revocare, quam saepe in editione Hagana Vs. B. in calcibus paginarum laudetur, neque locos enumerare, in quibus emendandis Vs. B. viris doctis viam ad recuperandam genuinam lectionem omnium opportunissime monstraverit. Itaque transeo ad eos locos, ubi Vs. Belgicae nulla fit mentio in ed. Hag., cum tamen illa emendationes, a L. propositas vel memoratas, occupaverit et occupando sanxerit. Quales sunt: de int. em. 76, *confundantur*; Eth. III, 11, schol.: *nam*; 17: *res*; 18, schol. 2: *dubitavimus*; IV, praef.: *videret*; V, 9: *in sola*; 10, schol.: *observabit*; 20: *cum eodem scholio Prop.* 4; Tract. Pol.

---

schol. „ut non credidi quendam errare (*quamquam eius verba absurda essent*)", etqseqq.; ibidem talia fere: „*vel eadem vel de diversis rebus cogitant*;" Eth. II, 49, schol. „Supponatur igitur homo falsis quibusdam *tam pertinaciter* adhaerere, *ut nullo modo ad dubitandum de his adigi possit*, nunquam," etqseqq ; ibidem „ideas illas rerum, *quae nullum vestigium in cerebro nostro facere possunt sive* quarum," etqseqq. Tract. Pol. IX, 14 „— quae omnes probant et de quibus nemo antea cogitasset; *cuius rei in Hollandia multa vidimus exempla*," quibus verbis vix carere possumus ob ea, quae sequuntur: „hoc Hollandorum imperium". Postremo Eth. I, app. in ipso fine, ubi haec addit Vs. B: „Si quaedam huius farinae adhuc restant, poterunt eadem ab unoquoque mediocri meditatione emendari, *itaque nullam invenio causam*, *ut his rebus diutius insistam* ETC.," unde suspiceris, librum primum Ethicae, ut praefatione, ita etiam iusto fine carere.

III; 14: *queritur*; IV, 16: *fieret*; VII, 24: *Susaco*; VIII, 44: *proponendi*; IX, 6: *tot*; Ep. XVI: *resurgentis*; XX: *praeditis*; XXXV: coniectura Cameri *quam*; XLII: *id*; XLIV: *industrie*; LXVII: *numquam*; LXXVI: *non*; XLII: *gentibus*; LIV: ordo verborum a L. restitutus. Quae omnia agnoscit Vs. B., nec non illa, quae recentioribus temporibus proposita sunt: de int. em. 19: *praeter*; Eth. I, app.: *notiones*; III, 48: *affectus*, quae correxit v. d. Stern; porro ep. VI, ubi v. d. Meyer ex ipsius Boylii verbis emendavit § 13, „exemplum *potius* peto," § 23, „raro a nobis *conspiciatur. Cape* igitur" etqseqq.; dein ep. VII, „potuisse levari, *ut* una", quod Bruder et Meyer correxerunt; quas emendationes omnes, per se satis sagaciter excogitatas, disertis verbis iampridem exhibebat Vs. Belgica.

Postremo speciminis instar liceat unum et alterum subiungere locum, qui manum medicam adhuc exspectare videtur, in quo restituendo tamen Vs. B. operam suam praestare potuerat. Primus, quem volo, legitur de int. em. 79. „Unde sequitur, nos non posse veras ideas in dubium vocare ex eo, quod forte aliquis Deus deceptor existat, qui vel in maxime certis nos fallit, nisi quamdiu nullam habemus claram et distinctam ideam" etqseqq. Locus est difficilis et unde vix te extricare possis. Audi tamen Vs. B.: „Hier uit volgt dan dat wij, schoon misschien enig bedrieger God was, die ons, zelfs in de zekerste dingen, bedroog, de ware denkbeelden niet in twijffel

konnen trekken, dan zo lang, als wij geen klare en onderscheide denkbeelt *van God* hebben." Vides interpretem Batavum in Ms. invenisse „ideam *Dei*," qua lectione recepta sententia et ratiocinium recte et ordine, opinor, procedit.

Secundus locus legitur ep. LV: „ubi terram ad vineam plantandum vel puteum ad sepulchrum faciendum fodimus, et thesaurum invenimus" etqseqq. Mira profecto et plane portentosa res, si corpora mortuorum in puteis condantur! At cf. Vs. B.: „Als men d'aarde omspit, om een wijngaart te planten of daar in graaft, *om een put, of graf te maken.*" Itaque apage monstrum et „puteum *aut* sepulchrum faciendum" restitue.

Ultimus sit Tract. Pol. VIII, 21: „Sed, ne longa admodum dominatione nimirum superbiant, nulli ad hoc ministerium eligendi sunt, nisi qui" etqseqq. Haud facile dixeris, quid vocula illa „nimirum" sibi velit; audi tamen Vs. B.: „Maar opdat zij, uit oorzaak van de lange Heerschappij, niet *al te* verwaant zouden worden, zo moet men" enz.; itaque pro „*nimirum*" restitue „*nimium*"; ad sententiam autem conf. VII, 27: „superbiunt homines annua designatione; quid nobiles, qui honores in aeternum agitant?"

Hisce satis apparere confido, quam egregiam operam in vocibus integris vel sententiis restituendis Versio Belgica praestare valeat; iam si ad minora transeamus, etiam in his eius auctoritatem minime spernendam esse patebit. Atque de interpunctione

iam egimus in superioribus, cum Ed. Princ. turbatae interdum distinctionis arguere conati sumus, et vidimus non deesse locos, ubi Vs. B., quippe quae melius sententiam intellexerit et proinde distinxerit, egregie adhiberi possit ad Ed. Pr. emendandam. Quibus addi potest ex. gr. ep. XXI: „quantum vero quintum attinet argumentum (scilicet Prophetas Dei Verbum tali ratione manifestum fecisse, quoniam veritas veritati non est contraria) nihil reliqui est," etqseqq., ubi editores primi cancellos prave appinxisse videntur, quo facto totus locus turbatur, cum et sententia ipsa et Vs. B., quae nullos agnoscit cancellos, suadeant, ut signa illa aut omnino abiciantur aut post „fecisse)" finiatur parenthesis.

Porro in Vs. B. passim alineae, quae dicuntur, aliter atque in Ed. Pr. dispositae inveniuntur; quae res quantum conferat ad sententiam recte intellegendam, imprimis in tractatu de int. em., qui uno tenore expressus editur, neminem fugit. Cf. ex. gr. de int. em. 8, ubi Vs. B. nullam exhibet alineam; ibid 30, ubi pro alinea talia uno tenore exhibet, (addito illo „hoc est"): „simulque ut hoc quam compendiose fiat, curabimus explicare, hoc est: postquam novimus, quaenam" etqseqq. Deinde Ep. XLII, ubi uno tenore Vs. B. haec habet: „quam ut fieri non possit, ut in triangulo tres anguli non sint aequales duobus rectis, Deum non posse efficere" etqseqq., quae unice recta videntur, cum sic sententia, quam Edd. Primi alineam interponendo turbaverunt, in integrum restituatur. Ibid. paullo

infra haec habet Vs. B. „sed curare debere, ne hujusmodi suscipiantur, quae virtuti obicem ponant, etiam ex eorum sententia, qui ea profitentur; magistratum itaque facile sine offensione Numinis posse" etqseqq., ubi iterum alinea interposita editores primi ordinem vitiasse videntur. Conferri etiam potest eadem epistula paullo supra, ubi Land, praeeunte Vs. B., alineam in Ed. Pr., quae totam sententiam perverterat, iampridem correxit.

Denique in notis adiungendis interpres Belg. nonnumquam et aliter et felicius processit quam editores primi. Atque hic iterum imprimis tractatum de int. em. respicimus, in quo talia frequentissime occurrunt. Ex. gr. de int. em. 78 nota, quae incipit per „Id est, scit sensus" etqseqq., in Vs. B. ipsi contextui inseritur hoc modo: „sed cogitando de fallacia sensuum oritur dubitatio; id est, scit sensus" etqseqq. Contra ibid. 89 ultima verba: „Multa affirmamus et negamus" etqseqq. in Vs. B. in notam relegantur; haud scio an recte, quia in lectione Ed. Pr. insolite abest nexus sententiarum et coniunctio, et observatio illa sic nude posita notam potius redolere videtur.

Hisce autem enumeratis, quae non tantum ad evincendum, quale subsidium Vs. B. adhibita lucremur, sed aeque faciunt ad intellegendum, quantum in Opp. Posth. edendis, ordinandis, emendandis sibi sumpserint Edd. veteres, hisce, inquam, enumeratis, cave ne in opinionem incidas, Versionem Belgicam omnino

maculis carere, ita ut ad quemvis difficiliorem locum expediendum tantum opus sit illam adire, ut integer sensus vel genuina lectio illico inveniatur. Etenim cum etiam Vs. B. eodem anno, quo Spinoza obierat, prodierit, fieri non potuit, quin pari cum festinatione, cuius editores Ed. Pr. arguimus, confecta, hic illic locum prave lectum aut minus recte intellectum exhiberet, omitteret quoque, denique neglegentiae socordiaeque indicia interdum prae se gereret. Cuius generis sunt illa, quae iam Land notaverat: vox „aucupium" Eth. IV, prop. 71, schol. per „aanloksel" reddita, et Eth. IV, app. 25, ubi „ignavi" pro „ignari" verterit interpres. Quae facile augeri possunt; cf. ex. gr. Tract. Pol. I, 5: „vel in templis, ubi homines nullum exercent *commercium*" quae sic vertuntur: „of in de kerken, daar de menschen geen *koophandel* plegen"; ibid. 7, „*consuetudines* jungunt"; hun *gewoonten* samen voegen; IV, 2, „(media) urbes condendi et muniendi, milites *conducendi*" etqseqq.: (middelen) Steden te bouwen, en te versterken, krijgslieden te *geleiden* enz. Caecutientem autem interpretem deprehendimus ex. gr. in eodem Tract. Pol. III, 17, ubi *tenetur* per: „ben *ik* gehouden" vertit; VI, 27, ubi quinquagesimum pro quadragesimum exhibet; VII, 4, ubi pro habue*rit*, habuer*int* reddit, quae lectio totam sententiam evertit. Porro neque in ipsis lemmatis vocum difficiliorum, quae in margine adscribenda curavit interpres, omni errore se abstinuit, quippe qui ex. gr. in tractatu de int. em. 1,

„bonum verum communicabile" omisso „sui"; ibid. 2, primo intui*to*; Tract. Pol. VIII, 19, syndici pro vindices; ibid. 26. secretarius pro a secretis vitiose appinxerit. 1) Denique huc referenda sunt illa, quae potius typothetarum quam ipsius interpretis errores existimandi sunt. Quorum unum tantum commemorabo, utpote qui se etiam in editionem Haganam propagaverit; epistulam volo XLIV, in qua haec leguntur: „Reliquum quod spectat, simulare, promittere et promissis non stare, mentiri, *perjurare*, multaque alia summis effert laudibus"; „Wat het overige aangaat, hij prijst ten hoogste het veinzen, beloven zonder geven, liegen, valsche *reden*, en meer andere dingen". Error manifestus pro *eeden*. 2) Porro in eadem epistula paullo infra. „Omnia, inquiebat, amicorum sunt communia; Sapientes sunt Deorum amici, et Deorum sunt omnia, Ergo Sapientum sunt omnia"; „Alle dingen, zeide hij, zijn onder de vrienden gemeen: de wijzen zijn de vrienden der goden [en van de goden zijn alle dingen]: dieshalven behoren alle dingen aan de wijzen." Quae uncinis inclusa addidi, excidisse videntur et omnino inserenda sunt, ut legitima fiat conclusio.

---

1) Itaque, cum haud raro talia vitia leviora in lemmatis occurrant, quae omnia annotare Land iure spreverit, vix intellego, cur Tract. Pol VI, 29, pro *emolumenta* (cf. ibid. 31) vitiosum lemma *molimenta* expresse commemoraverit, quippe quae vox omnino nullam praebeat sententiam.

2) Cf. etiam Corrigenda Vs. Belgicae.

Haec autem satis levia sunt neque lectorem magnopere morantur. Paullo maioris momenti loci illi sunt, ubi interpres vel integras voces vel sententias plane omiserit; ex. gr. de int. em. 54 nota, ubi in initio verba „statim etiam ostendam, quod nulla fictio versetur circa aeternas veritates" in Vs. B. desiderantur, quibus tamen vix carere possumus ad sententiam auctoris plane intellegendam. Simili socordia, ut videtur, omissa sunt in eodem tractatu 63 „Nam res illa non ex parte sed tota aut nihil ejus innotescere debebit," quibus verbis omissis ratiocinium quodammodo claudicat, certe minus bene procedit.

Porro addi possunt loci sequentes, (in quibus enumerandis, ne iusto longior fieret oratio, tantum ea ipsa verba exscribenda curavi, quae in Vs. B. desiderantur): Eth. I, 24, coroll. „— sive (ut termino scholastico utar) Deum esse causam essendi rerum"; Tract. Pol. V, 7. „et ad hoc de prudentissimo isto viro credendum magis adducor, quia pro libertate fuisse constat, ad quam etiam tuendam saluberrima consilia dedit." VI, 26. „Sed haec forsan observari non possent ab iis, qui, quando quaestio de crimine est, non tam argumentis quam tormentis reum convincere solent. Verum nec ego" etqseqq. usque ad finem. VII, 5. „Nemo enim volens imperium alteri concedit, ut habet Sallustius in prima ad Caesarem oratione;" denique VIII, 1. „Dico expresse" et tota, quae sequitur, digressio de discrimine inter aristocraticum et democraticum imperium usque ad „At si hi duo";

quae tamen omnia ab auctore postmodo, cum caput XI inchoaret, inserta esse videntur. Etenim diffitendum non est, locos illos, quos novissimos recensui, quamquam ex ipsius Spinozae manibus profecti videntur, tamen omnes speciem additamentorum prae se ferre, ita ut incredibile non sit eos, si iam Spinozae tribuendi sunt, perfecto demum opere ab auctore in margine adscriptos esse et hanc fuisse causam, cur interpretem Belgicum effugerint.

Denique afferri potest Eth. II, 49, schol. in ipso fine: „atque his, quae in hoc scholio agere constitueram absolvi et eo finem huic nostrae secundae parti impono, in qua puto me naturam mentis humanae" etqseqq., quem locum paullo aliter exhibet interpres Belg. omissis verbis mediis, quae, cum illud „eo" vix Spinozae esse crediderim, haud scio an potius editoribus quam auctori ipsi tamquam additamentum imputanda sint. 1)

---

1) Similiter Land de int. em. 42: „patet iterum [ex eo], quod" etqseqq. verba „ex eo", quae Vs. B. non habet, tamquam ab edd. primis addita, iure eiecisse videtur. Porro cf. ibid. 41: „Si ergo daretur aliquid in Natura, nihil commercii habens cum aliis rebus, ejus etiam *si datur* essentia objectiva, quae convenire omnino deberet cum formali" etqseqq.; ubi pro vitioso *datur*, *daretur* correxit L. Tamen cum Vs. B. haec plane omittat et etiam suadente sententia supervacuo et paene molesto additamento melius careamus, nescio an rectius haec verba editoribus primis tribuantur et plane tollantur. Denique notandum, abesse in Vs. B. notam illam ad int. em. 107: „vide supra pag. 365, 366" etqseqq., quam Spinozae adscribendam esse haud facile contenderis.

In ultimis igitur, quos tractavimus, locis interpres Belg. non adeo graviter incusandus esse videtur, immo eius omissiones interdum notatu dignae sunt, quippe quae nonnihil conferre possint ad cognoscendum statum et condicionem Mss. et editionis Operum Posthumorum; attamen si iam omnia, quae attulimus, respicimus, minime dissimulandum esse videtur, etiam interpreti Belgico nonnumquam humani quid accidisse eumque verba Spinozae hic illic parum intellexisse et turbasse quoque, tamen ita, ut ipsi etiam errores haud raro memoratu digni videantur; immo cum non iusto saepius eum peccasse appareat, equidem imprimis in brevitate temporis, in amplitudine Operum Posthumorum argumentique profunditate, diligentiam eius laudare quam socordiam exprobrare maluerim. Utut autem haec sunt, hoc certe ex praecedentibus eluxisse confido: Versionem Belgicam, cum ex ipsis Mss. confecta propriam habeat auctoritatem, unice aptam esse ad arguendos Editt. veteres, quid in edendis philosophi operibus sive festinantes omiserint vel turbaverint, sive emendantes, distinguentes, perpolientes ipsi adiecerint; itaque eam ad assequendos Spinozae conceptus et ad Opp. Posth. contextum constituendum quantivis esse pretii et dignam esse, quae in edendis philosophi scriptis *sedulo* et *fideliter* et *per totum opus* adhibeatur.

Restat, ut separatim paucis agamus de contextu epistularum earumque autographis, quae res fortasse integram reclamat investigationem, si quidem est tanti.

Etenim si autographa Spinozae, quatenus hodie exstant et in editione Hagana typis expressa sunt, atque potissimum ea, quae Spinoza ad amicum Oldenburgium perferenda curaverat, cum Ed. Principe et Vers. Belgica comparamus, primo intuitu patet, satis frequenter in autographis nonnulla occurrere, quae aeque in Ed. Pr. et in Vs. B. desiderantur. Ex. gr. ep. VI et XXXII, quarum totus finis truncatus est; XLV et XLVI, quarum postscripta, quae dicuntur, resecta esse apparent. Cum autem haec et alia, quasi communi quodam consilio, et ab Ed. Pr. et a Vs. B. aeque absint; porro, cum omissa fere nihil contineant nisi res familiares, domesticas, politicas quoque, scilicet, quas philosophus vel caute celare cuperet vel modeste aliis obtrudere nollet, hinc sequitur omnino verisimile esse omnia illa, quae Ed. Pr. et Vs. B. pariter omittunt, etiam ab exemplis ipsis epistularum, a Sp. domi servatis, afuisse, sive omnino aberant, sive deleta erant, sive potius signo addito auctor significaverat, quae evulgata nollet. Itaque facile assentiaris Land affirmanti 1) epistulas a Spinoza ipso selectas, purgatas, futurae denique editioni praeparatas esse, 2) ita ut amici post eius mortem in scriniis

---

1) In Versl. en Meded. der Kon. Akad. v. Wet. Afd. Lett II, 9, pag. 144, seqq.: „Over de eerste uitgaven der Brieven van Spinoza." In qua dissertatione docet Land, in autographis, quae Amstelodami asservantur, apparere adhuc lineas illas, quibus partes omittendae indicarentur.

2) Huius emendandi laboris exemplum esse potest ep. VIII, cuius

talia invenerint exempla, in quibus ea, quae abesse voluerat auctor, aperte indicata essent.

Hanc igitur ipsius Spinozae recensionem pro communi quodammodo fundamento habuisse eiusque auctoritatem in hac vel illa parte omittenda secutos esse interpretem Belg. et edd. primos statuendum videtur, quotiescumque eos conspirantes deprehendimus.

Iam, si in maioribus, utpote Spinozae auctoritatem agnoscentes, plerumque conveniunt, tamen in rebus minoris momenti satis frequenter inter se discrepant, ita ut et ipsi suo Marte nonnulla tamquam leviora aut minus apta, quae evulgarentur, omisisse videantur. Qua in re facile apparet interpretem Belg. minus sibi sumpsisse et Mss. vestigia propius pressisse quam editores primos.

Pauca exempla apponam. Ep. IX in fine haec habet Vs. B., duobus additis lemmatis: „Atque his me tuis quaestionibus satisfecisse puto. Interim tuum

---

autographon expressum est in ed. Hag. Quod si cum Ed. Pr. comparas, patet haud pauca omissa, correcta, redolata esse; ex. gr. „quaenam hic *esset* distinctio, non bene videmus" cum Ed. Pr. *sit* exhibeat; porro multa in Ed. Pr. elegantius expressa feruntur, velut „eligere prae, nequire, obnixe peto, si per otium perque negotium liceat, necessum est." Cum autem Vs. B. haec et alia quoque inter autogr. et Ed. Pr. discrimina, quae recensere neglego, omnia agnoscat, et ubique cum Ed. Pr. conspiret, vix assentior Land, qui in nota ad hanc epistulam contendit veteres editores autographon elegantius exprimere conatos esse, sed malo statuere, Spinozam ipsum epistulam Vriesii, hic illic imperitius expressam, perpolivisse neque tantum elegantius sed lucidius quoque expressisse et in stylum correptiorem contraxisse.

iudicium exspectabo et si quid adhuc supersit, quod non recte vel non satis clare demonstratum esse existimas, noli vereri mihi hoc indicare etc." quae omnia in Ed. Pr. desiderantur. Ep. XIV: „Plura statueram hic subjungere, sed amici et occupationes me avocant. Hoc unum insuper addam, ut, si tibi placuerit ea, quae prelo committis, ad me mittere, titulum epistularum tuarum et fasciculorum hoc modo scribas etc." Deest ultima sententia in Ed. Pr. Deinde Ep. XXXIII: „— rerum omnium in Mundo Catastrophen induturus sane videtur. Nulla adhuc affulget spes pacis inter Angliam et Belgium." iterum postrema desiderantur in Ed. Pr. Porro in calce huius epistulae Vs. B. recte annotat: „Responsio ad hanc epistulam desideratur," nec non sequentis Oldenburgii epistulae (LXI) datum, quod vocatur, 8 Jun. 1675, recte exhibet, cum Ed. Pr. eam perperam superiori adiunxit et vitiosum datum 8 Octobr. 1665 effert. Postremo huc citanda sunt, quae supra disputavi de ep. LXXX, cuius finem unica Vs. B. nobis incolumem servavit.

Ea autem, quae in Vs. B. omissa sunt, contra in Ed. Pr. exhibentur, fere talia sunt: ep. XII: „Quaero itaque, si fieri potest," etqseqq.; ep. LXXI postscriptum desideratur; ep. LXI: „Vale, Vir Praestantissime" etqseqq.; ep. LXXVI: „Dom. Boylius te," etqseqq.; ep. LXXVIII: „Vir Amplissime et me omni studio" etqseqq.; scilicet officiosa illa verba, qualia in subscriptionibus literarum in usu esse solent.

Reliqua, in quibus dissentiunt Vs. B. et Ed. Pr.,

utpote minora, vix opus est hic enumerare; duas tantum res notatu paullo digniores ex magna copia expromere liceat. Quarum prior omnino favet Vs. Belgicae: scilicet quod interdum datum ab interprete Belgico accuratius servatum videtur quam ab edd. veteribus. Epistulam LXI in superioribus iam attigimus; cui addi possunt epp. XII et XLII, quarum datum unica Vs. B. nobis servavit.

Alterum, quod volo, hoc est. Ep. XX in fine: „et ideo demiror in Praefatione affirmari," etqseqq. Vs. nomen L. Meyer addidit, unde Land in nota ad hanc epistulam efficere conatus est, Meyerum fuisse, qui hanc epistulam Latine verterit, scilicet famae suae consulentem et nomen suum supprimentem. Plane eadem autem res occurrit ep. XXI, ubi Ed. Pr. habet: „L. M. in praefatione", contra Vs. B. bis: „D. Meyer" nominat; itemque ep. LXXXI, ubi Ed. Pr.: „in Epistola de Infinito," Vs. B.: „in een brief aan L. M. geschreven," exhibet. 1)

Statuendum igitur Ed. Pr. et Vs. B. quamquam ex eadem sc. Spinozae ipsius recensione epistularum confectae esse videntur, tamen in minoribus haud pauca discrimina exhibere, cum et interpres Belgicus et imprimis Editores Primi in hac vel illa sententia omittenda sibi nonnihil sumpsisse et proprio arbitrio

---

1) De amicis Spinozae, qui editionem Opp. Posth. curaverunt et imprimis de Schullero epistularum editore cf. Meinsma l. l. p. 443 et seqq., apud quem perlegatur etiam lepida illa narratiuncula de nomine Leibnitii per errorem omnibus literis in Ed. Princ. expresso.

usos esse appareat, ita ut etiam in epistularum contextu constituendo ambo pariter adhibendi sint.

Paullo aliter res sese habet in iis epistulis, quas Spinoza lingua Belgica conscripsit, dein Latine vertit. In his enim edendis interpretem Belgicum, ita ut par erat, frequentissime Spinozae autographa Hollandica, rarius eius versionem Latinam respexisse apparet. Exemplo sint epistulae ad Blyenbergh datae: XIX, XXIII, XXVII; quarum autographa Belgica servata et in editione Hagana typis expressa sunt. Quae si cum Vs. B. et Ed. Pr. comparamus, comperimus Vs. B. saepius cum autographo conspirare contra Ed. Pr. Velut ep. XIX, ubi autogr. et Vs. B.: „dat wij niets *gerustigh* konnen beminnen, *dan* sodanige menschen" i. e. nos nihil *tranquille* amare posse, nisi tales homines; contra Ed. Pr. „nos nihil *tranquillius*, *quam* istiusmodi homines, posse amare", quod non plane idem est; ibid. autogr. et Vs. B.: „hoe aangenaam mij *is* en in toekoomende sijn sal." Ed. Pr.: „quam gratum mihi et in posterum futurum sit." ibid. autogr. et Vs. B.: „want het quaat dat 'r in was, niet dan een *berooving van een volmaakter staat* was;" Ed. Pr. „*privationis status*," de quo satis gravi vitio iam supra egimus; ibid. autogr. et Vs. B.: „wijl *zij ook* gots wil uitvoeren," Ed. Pr. verba „*etiam illi*" (sc. improbi) omittens sententiam haud parum obscuram reddidit.

Contra ep. XXIII, ubi autogr. et Vs. B. haec habent: „want de uyterlijke daat, en met eenen de

intentien om de moeder te vermoorde heeft Orestes ook gehad," Ed. Pr. edidit: „nam facinus externum fecit, simulque intentionem ad trucidandam matrem Orestes habuit" apte „fecit" iniungens, qua voce vix carere possis.

Tamen neque illi loci desunt, in quibus Vs. Belg. cum Ed. Pr. faciat, dissentiente autographo. Ex. gr. in prima, quam attulimus, epistula XIX Vs. B. et Ed. Pr. pariter: „imo cum infinitos aliis comparare respectu illius longe *perfectioribus*" deinde: „etiam omnino cum volunta*te* Divinae natur*ae* pugnaret" proferunt, quas lectiones in superioribus tamquam vitiosas notavimus, cum autographon „*on*volmaakter" et „tegen de natuur van gots wil streidig" exhibet, quas voces unice veras esse iudicavimus. In altera epistula, sc. XXIII, Vs. B. et Ed. Pr. conspirant in numerum singularem „ad ali*am* Quaestion*em*, quam calci Epistolae addidisti," nimirum haec verba ad illud, quod vocatur, postscriptum referentes epistulae XXII Blyenberghii; contra autographon: „wat de anderen *vraagen* belangt, die U. E. aan 't eint van sijn brief gevoegt heeft", quae verba respicere videntur quaestiones illas sat multas, quae in fine ipsius epistulae XXII leguntur. Denique in ultima, quam attulimus, epistula XXVII, Vs. B. et Ed. Pr. haec habent: „ut meam sententiam cuilibet *indicarem*, non vero probarem et hominibus *persuaderem*", quae in autographo sic leguntur: „om ieder van mijn gevoelen, en meening te *waarschouwen*,

maar niet omse te bewijse noch om te *verklaaren*."

His omnibus apparere puto interpreti Batavo tam autographa Spinozae Hollandica quam eorum versionem Latinam praesto fuisse, quae ad Versionem suam Belgicam conficiendam adhiberet. Hoc autem ea ratione factum esse — in superioribus enim tantum ea, quae maxime conspicua erant, enumeravi — ut potissimum autographa ipsa adhiberet eorumque vestigia servaret, unicuique vel primo intuitu manifestum fore existimo. 1)

---

1) Cf. praeterea, quae Land annotavit ad ep. XXXVIII: „ex editione Belgica *ipsa auctoris verba*, etsi ab amicis nonnihil expolita, addimus," nec non ad epp. XL, XLIV, L, LII.

APPENDIX.

Sequuntur loci aliquot, quos in praecedentibus attingere non potui, qui tamen brevi mentione digni esse videntur.

Tractatus De Intellectus Emendatione.

34. Recte Bruder sic interpunxerat: „non esse opus, ut sciam, quod sciam me scire." Cf. paullo infra: „nam, uti ostendimus, non opus est, ut sciam, quod sciam me scire." Comma, ab Ed. Pr. et Land omissum, in causa fuisse credo, cur nonnulli interpretes sententiam non plane assecuti esse videantur.

54. „idem intelligendum est de Chimaera, cujus natura existere implicat."

Frustra Land, ut negationem „*non*" insereret, provocavit ad Cog. Met. II. 12, § 4: „satis constat, nos de nulla re creata posse dicere, quod ejus natura implicet, ut a potentia Dei destruatur. Nam qui potestatem habuit rem creandi, etiam potestatem

5

habet ipsam destruendi." Quo in loco (male, ut videtur, a Brudero intellecto, qui et hic „non" inseruit) verbum „implicare" plane eodem sensu, atque in reliquis, quos citat Land, locis sc. Cog. Met. I. 3, § 8 et II. 1, § 3, usurpatur pro „contradictionem implicare."

Ad voces „implicare" et „implicantia", ex philosophorum scholis petitas, cf. Ep. XII: „quale Infinitum majus alio Infinito sine ulla implicantia, quale vero non item concipi potest" et praeterea Cartesius Medit. Respons. ad Obi. Sec. tom. I. pp. 442 seqq. Cousin.

60. nota. „Quamvis hoc experientia videar concludere," etqseqq.

Multo aptius hanc notam adiunxit V. B. Nam, nisi fallor, illud *hoc,* quod per experientiam concluditur, est, quod „anima, ubi rem vere concipit, perget objective eosdem effectus formare." Quae ad locum, quem volunt Edd. veteres, non faciunt; scilicet illi, decepti verbis „ullis demonstrationibus" et notam importuno loco appinxerunt et auctorem sibi ipsum obloquentem reddiderunt.

Rem egregie perspexit Vs. B., quae sequentibus verbis „nempe hoc" signum notae apposuit.

68. „cum hominibus persuadetur, in silvis, in imaginibus, in brutis, et caeteris adesse numina."

Interpretes quos vidi „caeteris" vertunt per „aliis."

Viam monstrare potuit Vs. B.: „in de bosschen, in de beelden, in de beesten *enz.*" id est „etc."

Conferri potest paullo infra 84: „ostendimusque, quod ideae fictae, falsae, et caeterae habeant suam originem" etqseqq., ubi iterum sine dubio „etc." voluit auctor.

87: „In hos ex. gr., quod extensio debeat esse in loco, debeat esse finita, cujus partes ab invicem distinguunter realiter" etqseqq.

Non assequor, cur Land Coniunctivum „distinguantur" introduxerit. Sententia „cujus" etqseqq. seriem attributorum, quae ad extensionem referenda sunt, sc. „in loco, finita" continuat; est igitur revera sententia relativa, ita ut Indicativus in Ed. Pr. recte sese habere videatur.

99: „— requiritur, ut, quamprimum fieri potest et ratio postulat, inquiramus" etqseqq.

Cum in verbis traditis illud „quam primum ...... ratio postulat" intellegere non possim, suspicor verba sic transponenda esse: „requiritur et ratio postulat;" quo facto sententia satis leniter procedere videtur.

102 et 103. Quia toto hoc loco perlecto apparet per verba „Antequam" etqseqq. ratiocinium et demonstrationem non procedere, sed potius praecedentia repeti, explicari, illustrari; porro cum verba illa per nullam coniunctionem superioribus adiungantur, omnia illa ab „Antequam" usque ad „Hic, ut ad propositum revertar," quae a nonnullis interpretibus vix recte intel-

lecta videntur, potius annotationis vel lemmatis, ab auctore in margine appositi, speciem prae se ferre videntur et igitur in calcem paginae transferenda esse tamquam nota, quae in ipsum contextum irrepserit per sequens illud „hic." Quod cum ad superius „non est hujus loci" referendum esset, tamen interpretes id ad illa „ut suo loco ostendam" spectare crediderunt.

104: „sin autem vera, tum faciliter perget sine ulla interruptione res veras inde deducere."

Si ea, quae in priore parte de Sp. scientia linguae Latinae disputavimus, recte se habent, dubitari vix potest, quin aliquatenus modum excesserit Land, qui pro vitioso „feciliter," quod Ed. Pr. exhibet, „faciliter" quamvis dubitanter in textum recepit et Spinozae soloecismum manifestum obtrusit.

Conferri poterat Vs. B.: „of, zo zij waar is, dan *gelukkiglijk* zonder enige afbreeking, voortgaan in de ware dingen daar van af te leiden;" nec non idem hic tractatus paullo supra (61): „et si res ficta sua natura sit vera, cum mens ad eam attendit, ut eam intelligat, et ex ea bono ordine incipit deducere, quae inde sequuntur, *feliciter perget sine ulla interruptione*," etqseqq.

104: „Nam ex nullo fundamento cogitationes nostrae terminari queunt." In loco difficili (vide interpretationum licentiam) memoranda certe erat lectio Vs. B.,

quae haec habet: „want onze denkingen konnen uit geen *andere* grontvest bepaalt worden," et in lemmate *de*terminari.

Ethica.

Lib. I. 11, dem. 2: „ratio, cur circulus vel triangulum existit," etqseqq. Land „triangulus" correxit. Tamen notandum est, triangulum per genus neutrum aeque bona Latinitate efferri et Eth. II. 8, schol. legi: „rectangul*a*."

ibid. 11, schol.: „quia assueti sunt eas solummodo res contemplari, quae a causis externis *fluunt*."

Nescio an praestet leni mutatione corrigere „*fiunt*"; primo, quod auctor in sequentibus, easdem res designans, bis loquitur de rebus, quae a causis externis *fiunt*. Deinde verbum „fluere" a „fieri" distingui puto apud nostrum, quippe qui vocem „fluere" adhibeat, ubi agitur de rebus, quae per longam illam vel potius infinitam seriem derivantur sive „sequuntur" ex ipsius Dei infinita natura vel ex „rebus aeternis." Cf. Eth. I. 17, schol.: „a summa Dei potentia sive infinita natura infinita effluxisse". Ep. XII: „a modo, quo a rebus aeternis fluit." In loco autem, de quo agitur, sermo tantum est de rebus, quas causantur res externae, qua in re fere sollemne est verbum „fieri."

ibid. 15, schol. Minus recte illa „*Porro*" et „*Denique*" inde ab Ed. Princ. cursive imprimuntur, quasi haec esset argumentorum series: „*Primo* — *Porro* — *Denique*." Contra hic sententiarum ordo et connexus esse apparet: *Primum* argumentum adversariorum est, quod substantia corporea constat partibus; cuius ratiocinii „unum atque alterum" exemplum affertur, sc. I^{0}.: „si substantia corporea, aiunt, est infinita" etqseqq. II^{0}.: „porro, si quantitas" etc. III^{0}.: „Denique, si ex uno puncto" etc. His autem expositis sequitur: „*Secundum* argumentum petitur" etqseqq.

Optime Vs. B., quae nihil cursive exhibet, ultima vertit per: „*het* tweede bewijs" etc.

ibid. 28, schol.: „Cum quaedam a Deo immediate produci debuerunt, videlicet ea, quae ex absoluta ejus natura necessario sequuntur, mediantibus his primis, quae tamen sine Deo nec esse nec concipi possunt."

Severius de Boehmero iudicat Land, cum illius coniectura „et quaedam" inserentis ad summum supervacua, at vix „perperam" facta vocanda esset.

Quod attinet ad ea, quae de verborum connexione affert Land, structurae, quam vult L., scilicet ut antecedens ex relativo suppleatur et quidem diverso casu, cum apud Sp. tum apud quemvis alium scriptorem exempla inveniri, nemo, opinor, in dubium vocavit nec vocabit. Haeserunt nimirum interpretes in ambiguitate loci, ubi in promptu est coniungere

„his primis, quae." Neque in tradita lectione illud „tamen" leniter procedit.

Ceterum vide, quae recte disserit Meyer de hoc loco, qui confert Eth. I, 23 dem. et Ep. LXIII. Quibus adde Vs. B., quam in his neglectam esse mireris: „dewijl enige dingen onmiddelijk van God . . . . . . *en anderen* door middel van deze eersten" etc. Equidem potissimum legerem per asyndeton fortius et distinctius: „. . . . . . necessario sequuntur, *quaedam* mediantibus his primis, quae tamen" etqseqq. cf. Eth. III, 3, dem. „— quarum quaedam sunt adaequatae, quaedam autem inadaequatae."

ibid. app. „— et de causis . . . . . . ne per somnium cogitant."

Anon. Tubing. apud L. „quidem" inserit; ipse L. ad traditam lectionem servandam provocat ad Livium Gronovianum.

Conferri poterat Tract. Theol. Polit. praefat. 10: „quod sane clare ostendit, eos Scripturae divinitatem *nec per somnium* videre" et ibid. II. 28: „et de parheliis forte nunquam *nec per somnium* cogitavit." Itaque in promptu est leni mutatione „nec" restituere.

ibid. app. „Sic etiam, ubi corporis humani fabricam vident, stupescunt, et ex eo, quod tantae artis causas ignorant, concludent, eandem" etqseqq.

Suadente et ipsa sententia et praecedente „stupes-

cunt" et quas vidi versiones, malim praesens ,,concludunt". Cf. Vs. B.: ,,zo *besluiten* zij daaruit" etc.

Lib. II. 8, schol.: ,,Nempe circulus talis est naturae, ut omnium linearum rectarum, in eodem sese invicem secantium, rectangula sub segmentis sint inter se aequalia."

Haereo in illo ,,*sub* segmentis." Vs. B. quamquam in hoc loco turbata est, inserit ,,begrepen"; i. e. ,,comprehensa sub segmentis."

Multo clarius eadem res designatur Ep. LIX: ,,in infinitis rectangulis sibi invicem aequalibus, *factis a* segmentis duarum linearum". Unde etiam liquet, participium hic utique desiderari.

ibid. 18, schol.: ,,ut ex. gr. ex cogitatione vocis *pomi* homo Romanus statim in cogitationem fructus incidit" etqseqq.

Haud scio, an concinnius ,,incidet" legatur; cf. ,,et sic unusquisque incidet", ,,miles statim in cogitationem incidet" et sic ubique in sequentibus.

Vs. B.: ...... *zal* terstont op de denking van een vrucht vallen."

ibid. 25, dem.: — quatenus externum ipsum humanum Corpus certo quodam modo determinat."

In sententia ambigua malim ,,externum [corpus]" inserere, quod in sequentibus quoque semper adiungitur ab auctore.

Vs. B. exhibet: „als het uitterlijk *lighaam* zelf het menschelijk lighaam op enige zekere wijze bepaald", ceterum ne ita quidem verba Sp. recte intellegens, ita ut suspiceris etiam Editores veteres locum non perspexisse et prius „corpus" utpote abundans sustulisse.

ibid. 26, dem.: „— eatenus (per prop. 16 hujus cum Coroll. ejusdem)."

Corrigendum videtur „cum Coroll. 1 ejusdem." Idem vitium sustulit Land ad II, 47, dem.

ibid. 35, schol.: „— qui aliud jactant, animae sedes et habitacula fingunt, vel risum vel nauseam movere solent."

Durum asyndeton et subobscurum, neque facile dixeris, qua de causa auctor id adhibiturus fuerit. Inserendum videtur „iactant *et* animae", quod plerique interpretes sua sponte iniunxerunt et agnoscit Vs. B.: „Degenen, die anders voorgeeven te weten, *en* zetels en woningen voor de ziel verdichten."

ibid. 39. Ipsius propositionis verba turbata videntur et sic transponenda: „Id quod Corpori humano et quibusdam corporibus externis, a quibus Corpus humanum affici solet, commune est et proprium, quodque in cujuscunque horum parte aeque ac in toto est, ejus etiam idea erit in Mente adaequata."

Quae restitutio et perspicuam praebet sententiam et sollemnem in his rebus Spinozae formulam refert

(cf. initium demonstrationis sequentis, ubi haec ipsa verba repetuntur) et disertis verbis agnoscitur in Vs. B.: „Van het geen, 't welk aan 't menschelijk lighaam, en aan enige andere uitterlijke lighamen, van de welken het menschelijk lighaam aangedaan word, gemeen en eigen is, 't welk zo wel in 't deel, als in 't geheel van yder dezer lighamen is, zal ook een evenmatig denkbeelt in de ziel wezen."

ibid. 40, schol. 1: „Ex similibus deinde causis ortae sunt notiones illae, quas *Universales* vocant, ut Homo, Equus, Canis etc. Videlicet ...... distincte imaginetur; nam ab eo Corpus, maxime scilicet ab unoquoque singulari, affectum fuit."

Sententiam satis longam et difficilem ultro impedivit Ed. Pr., prave per „Videlicet" novam instituens sententiam. De quo vitiorum genere cf., quae pp. 43 seqq. disseruimus.

Ultima sic distinguenda: „nam ab eo Corpus maxime, scilicet ab unoquoque singulari, affectum fuit." Optime Vs. B.: „Want, dewijl dit van yder mensch geschied, zo word het lighaam daar af op het krachtigste aangedaan." Praeterea cf. Stern ad hunc locum et Camerer in libro Die Lehre Spinoza's p. 84.

ibidem. 40, schol. 1: „hominem esse animal risibile."

Merito Stern traducit Kirchmannum, utpote qui „risibile" per „ridiculum" interpretatus sit.

Tamen et ipse erravit in eo, quod contendit vocem

„risibilis" iam a Martiali adhibitam esse. Nimirum Martianum voluit Capellam, apud quem tota haec formula Lib. IV, p. 100 et passim occurrit.

ibid. 43, schol. Verba sequentia sic interpungantur: „Atque his me ad has quaestiones respondisse puto, nempe: si idea vera, quatenus tantum dicitur cum suo ideato convenire, a falsa distinguitur; nihil ergo realitatis aut perfectionis idea vera habet prae falsa (quandoquidem per solam denominationem extrinsecam distinguuntur) et consequenter neque etiam homo, qui veras, prae illo, qui falsas tantum ideas habet?" Cf. etiam Vs. B. et Stern ad hunc locum.

Liber III. 1, dem.: „— aliae autem mutilatae et confusae (per schol. Prop. 40, p. 2.)"

Legendum videtur „per schol. 2."

ibid. 47, schol.: „Quoties enim rei recordamur, quamvis ipsa actu non existat, eandem *tantum* ut praesentem contemplamur."

Corrigendum videtur *tamen*. Cf. locum, ad quem provocat Sp. scilicet II. 17, coroll., ubi „quamvis non existant nec praesentia sint, contemplari *tamen* poterit, velut praesentia essent," et similia passim occurrunt. Audi etiam Vs. B. ad nostrum locum: „hoewel zij niet dadelijk wezentlijk is, zo aanschouwen wij *echter* de zelfde als tegenwoordig."

ibid. 50, dem.: „— quam vide una cum Schol. Propositionis 18 hujus."

Iniunge „cum schol 2."

ibid. Aff. def. 1, expl.: „sive ea sit innata, sive quod ipsa per solum Cogitationis, sive per solum Extensionis attributum concipiatur, sive denique quod ad utrumque simul referatur."

In initio antithesis aliquatenus claudicat; itaque audienda erat Vs. B., quae haec exhibet: „'t zij de zelfde ingeboren, *of van buiten aangekomen*, of dat zij alleenlijk," etc. i. e. „sive ea sit innata *sive adventicia*." Quibus verbis insertis iam recto talo procedit oratio.

ibid. aff. def. 11: „Irrisio est Laetitia orta ex eo, quod aliquid, quod contemnimus in re, quam odimus, ei inesse imaginamur."

Male haec interpunxisse, deinde pronomen temere supplesse videntur edd. vett., testibus Vs. B. et quos vidi interpretes.

Legendum videtur: „quod aliquid, quod contemnimus, in re, quam odimus, inesse imaginamur."

Vs. B.: „dat wij ons inbeelden dat 'r iets, 't welk wij verachten, in een zaak is, die wij haten."

ibid. aff. def. 48, explic.: „Nam avarus in cibum et potum alienum *ingurgitare* plerumque desiderat."

Si iure in priore parte Spinozam linguae Latinae

haud mediocriter peritum fuisse contendimus, locum hunc leviter corrigere fortasse licebit. Etenim mira profecto res, si scriptor, qui verbum tam exquisitum eligere et tam opportune adhibere potuerit, tamen id recte adhibere non valuerit et pronomen reflexivum *se* omiserit, quo salva Latinitate carere non possumus.

Praeterea vide, an iterum ad eandem integrae Latinitatis normam liceat provocare in restituendo altero loco, qui legitur Eth. V. 42, schol.: „Ignarus enim, praeterquam a causis externis multis modis agitatur," etqseqq.

Offendit omissum *quod* post praeterquam, quam vocem et Latinitas et sententia desiderat, neque umquam, dummodo recte meminerim, addere neglegit noster.

Postremo in perlegendo tract. de int. em. 4: „Honores ac divitias prosequendo non parum etiam distrahitur mens," facere non possum, quin suspicer leni correctione „*per*sequendo" scribendum esse, quam vocem recta Latinitas utique reclamare videtur.

Lib. IV. def. 6: „— sicut omnia illa objecta, quae ultra ducentos pedes a nobis distant . . . . . . aeque a nobis distare, et perinde, ac si in eodem plano essent, imaginari solemus; sic etiam" etqseqq.

Aegre desideratur „aeque *longe*," cum ob Latinitatem tum propter totius loci tenorem, qui, utpote in comparatione, necesse respondeat illis proxime

sequentibus: „omnia aeque longe a praesenti distare imaginamur."

Vs. B.: „even verre van ons af zijn."

ibid. 7, dem.: „atque adeo Mens *afficitur* idea affectionis fortioris, et contrariae priori, hoc est Mens *afficietur* affectu fortiori et contrario priori, qui scilicet prioris existentiam seclud*et* vel toll*et*."

Quod ipsa sententia et verborum concinnitas suadent, scilicet ut priore loco „*afficietur*" restituamus, id diserte probat Vs. B.: „En dieshalven, de ziel *zal* met het denkbeelt ...... aangedaan worden."

ibid. 12. coroll. dem. „si tempus futurum a praesenti non multum distare imaginaremur" etqseqq.

Frustra Land, qui invita, credo, sententia „*non*" ex lectione tradita tollendum censuerat, ad opinionem suam probandam provocavit ad Vs. B. Exhibet sane illa in contextu „zo wy ons inbeelden dat de toekomende tyt *verre* van de tegenwoordige af is," at in Corrigendis errorem suum reparavit et „*niet verre*" legendum esse intellexit.

ibid. 17, schol.: „sed ideo quia necesse est, nostrae naturae tam potentiam quam impotentiam noscere."

Ex loci argumentatione patet scriptorem voluisse: „non solum potentiam sed etiam impotentiam." Igitur multo rectius transposuit Vs. B. „dat het nootzakelijk is zo wel het *onvermogen*, als het *vermogen* van onze natuur te kennen."

Plane autem eodem modo auctorem in mente sua explicanda leviter lapsum deprehendimus, dum in nota aliqua dicendi formula pedem offendit, in loco, qui legitur Eth. IV. 46, schol.: „At qui contra studet Odium Amore expugnare, ille sane laetus et secure pugnat, aeque facile uni homini ac pluribus resistit" etqseqq.

Vs. B., quae primo „wederstaat zo lichtelijk een enige als vele menschen" verterat, postmodo, errorem credo detegens, in Corrigendis „wederstaat *zo lichtelijk veel menschen, als een enige*" transposuit, auctorem ipsum potius quam Ms., opinor, emendans.

ibid. 53, dem.: „tum nihil aliud concipimus, quam quod homo se ipsum distincte intelligit (per Prop. 26, hujus), quod ipsius agendi potentia juvatur."

Loco, etiam a L. tentato, unicam medelam attulisse videtur Vs. B.: „— dan dat de mensch zich zelf onderscheidelijk verstaat, of (volgens de zesentwintigste voorstelling van dit deel) dat zijn vermogen van te werken geholpen word" i. e. „distincte intelligit, *sive* (per Prop. 26, hujus) quod ipsius" etqseqq.

Qua correctione et sententia recte procedit et propositio citata migrat in alteram sententiae partem, quo facto omnino opus erat.

ibid. 58, schol.: „atque adeo, nisi conservetur fama, cito abolescit."

Notatu dignum, quod Vs. B. „observetur" legisse videtur, quippe quae haec habeat: „en dieshalven

verdwijnt het gerucht wel haast, zo het niet *waargenomen* word."

Lib. V. 20, schol. „Deinde Amorem gignit erga rem immutabilem et aeternam (vide Prop. 15 hujus), et cujus revera sumus compotes (vide Prop. 45, p. 2); et propterea nullis vitiis, quae in communi Amore insunt, inquinari, sed qui semper major ac major esse potest," etqseqq.

Edd. vett. locum vix intellexerunt et prave distinxerunt; interpunctionem restituit Land. Tamen ne sic quidem sententia recte procedit ob zeugma vix ferendum, siquidem huic vocabulo adhuc locus est in tam torta structura.

Audienda Vs. B.: „Zij kan dieshalven door geen gebreken, die in de gemene liefde plaats hebben, besmet, maar altijd groter en groter worden," quae verba suadent, ut eiciatur „*qui*," quo facto omnia optime procedunt.

Tractatus Politicus.

C. III, 2: „hoc est, quod unusquisque in statu naturali, sic etiam totius imperii corpus et mens, tantum juris habet, quantum potentia valet."

Desideratur aliquid, ad quod comparativa illa verba „sic etiam" referantur.

Vs. B. haec effert: „dat is, *gelijk* yder in de naturelijke stant, zo heeft ook het geheel lighaam, en de ziel," etqseqq. sc.: „hoc est, *ut* unusquisque in statu naturali, sic etiam," etqseqq.

ibid. 10: „nam nulla mihi est, ut olim Christi Discipulis potestas fuit, ejiciendi spiritus immundos et faciendi miracula."

Vs. B.: „want ik heb niet, gelijk eertijts Christus Leerlingen, de macht van d' onreine geesten uit te werpen en wonderdaden te doen" i. e. „nam nulla mihi est, ut olim Christi Discipulis fuit, potestas ejiciendi," etqseqq.

C. V. 2: „Qualis autem cujuscunque Imperii sit status, facile ex fine Status Civilis cognoscitur: qui scilicet nullus alius est, quam pax vitaeque securitas."

Sententia utique reclamat, ut iniungatur. „Qualis autem *optimus* cuiuscunque imperii sit status," etqseqq.

Vs. B.: „Maar hoedanige stant van yder Heerschappy *de beste* is, word lichtelijk," etqseqq.

ibid. 5: „— vitam humanam intelligo ...... quae maxime Ratione, vera Mentis virtute et vita definitur."

Exemplum Versionis Belg., omnia haec misere turbantis, monet, ut paullo clarius distinguamus: „quae maxime Ratione, vera Mentis virtute et vita, definitur."

C. VII. 9: „nam, uti diximus, sententia, quae ad summum centum ad minimum suffragia non habuerit, irrita est."

Quid haec sibi velint, haud facile dixeris, opinor. Alluditur per illa „uti diximus" ad C. VI. 25, ubi haec leguntur: „suffragiis collectis, ea irrita habeatur (sententia), quae centum ad minimum suffragia non habuerit."

Vs. B. utrobique exhibet: „'t gevoelen, 't welk ten minsten geen hondert stemmen gehad heeft"

Itaque expungatur censeo „*ad summum.*"

C. VIII. 12: „— et sic paulatim imperium ad paucos, et tandem ob factionem ad unum redigitur."

Vs. B.: „en dus geraakt de heerschappy allengs aan weinigen, en eindelijk, door de samenspanning*en*, aan een alleen," porro in lemmate „faction*es*."

Et sane ipsa quoque sententia suadet, ut pluralem numerum restituamus.

ibid. 13: „Nam servata imperii forma, numerus Patriciorum multo major esse potest numero multitudinis."

Vs. B.: „want het getal der Keurraden kan, met behoudenis van de vorm der Heerschappy, veel groter zijn, naar het getal van de menigte," id est „*pro* numero"; quod unice aptam praebet sententiam, ut toto capite perlecto clare apparebit.

ibid. 24. „Nam, quod hujus imperii ministris aequum sit vocationis praemium decerni, dubitare non possumus."

Nimirum „v*a*cationis" restituendum; cf. Vs. B.: „vergelding van hun *bezigheit*" et C. VIII. 21 et 22: „quare iis vacationis praemium decerni, aequum est."

C. IX. 6: „Atque hic idem ordo in eligendis ducibus exercitus, et legatis in alia regna mittendis, ut circa decreta de bello inferendo, et pacis conditionibus acceptandis, teneri potest."

Vs. B.: „Men moet deze zelfde ordening ook in Krijgsoversten te verkiezen, in Gezanten naar andere Rijken te zenden, *gelijk ook* in de besluiten van oorlog te voeren, en voorwaarden van vrede aan te nemen, houden." Itaque „*ut et* circa decreta," legisse apparet Vs. B.; recte, ut videtur.

C. X. 4. „Homines enim, in pace deposito metu, paulatim ex ferocibus barbaris civiles seu humani, et ex humanis molles et inertes fiunt."

Collata Vs. B.: „Want de menschen, in vrede de vrees afgelegt hebbende, worden allengs, in plaats van woest en onbezuist, burgerlijk en menschelijk," malis legere „ferocibus *et* barbaris", praesertim cum vocem „barbarus" adiective adhibere soleat noster; cf. ex. gr. C. I. 7.

Epistulae.

Ep. IX. Huius epistulae Versio Belgica tot in rebus ab Ed. Pr. et autographo Spinozae, quod apud L. expressum est, discrepat, scilicet quae in exordio longe alium exhibet sententiarum ordinem, in ipso corpore epistulae haud pauca vel aliter effert vel plane omittit, denique in fine haec addit: „Atque his me tuis quaestionibus satisfecisse puto. Interim tuum iudicium exspectabo et si quid adhuc supersit, quod non recte vel non satis clare demonstratum esse existimas, noli vereri mihi hoc indicare etc." quae ab Ed. Pr. et ab autogr. aeque absunt, quorum abruptum finem non possis non mirari; in tot rebus, inquam, variat Vs. B., ut coniciendum videatur, interpreti Belgico alterum exemplum epistulae ad Vriesium praesto fuisse. Cum autem agatur de epistula missa ad unum ex Sp. amicis et cultoribus, qui philosophi epistulas descripsisse et inter se distribuisse existimandi sunt, non nimis temeraria, puto, haec opinio existimanda est.

Immo corroboratur coniectura haec, si iam pergimus ad Ep. XII, et illam ad amicum familiarem missam itemque unam ex celeberrimis, ut patet ex Epp. LXXX et LXXXI. In qua epistula edenda insigniter nonnumquam ab Ed. Pr. discrepat Vs. B. Notavi haec, quae in Vs. B. addita sunt: „et id, cuius partes, *quamvis determinatum sit,* et quamvis eius maximum et minimum habemus." etqseqq. Tum „ad haec, inquam, si

attendissent, nunquam, *ut ex mox dicendis apparebit,* tam ingenti difficultatum turba obruti fuissent." Porro „*Et quo facilius haec fieri possint,* prius haec quatuor paucis exponam." Denique in fine epistulae: „reperio, *longe aliter eadem sonat, quandoquidem ille sic probat,*" nec non: „a re sua natura necessario existente, *et quae causa, neque causata sit.*" Postremo datum, quod vocatur, in sola Vs. B. occurrit.

Contra desiderantur in Vs. B. haec: „ostendere *philosophi* vulgo moliuntur," deinde „Peripatetici *recentiores,*" nec non tota illa ultima sententia „*Quaeso itaque, si fieri potest.*" etqseqq.

Itaque et hic potissimum conicias Vs. B. et Ed. Pr. suum quemque exemplum huius epistulae adhibuisse, et quidem Edd. vett. melius exemplum possedisse videntur, cum nonnulla inutilia et prolixiora omiserint, contra hic illic vocula quadam addita sententiam aptissime illustraverint.

Ep. XIII. Notatu dignum eodem modo, quo ad Ep. VI. § 13, etiam hic ad verba „cum non pauca in eo scripserim, quorum contrarium prorsus amplector" Vs. B. servavisse, quae in margine exempli sui annotasse videtur Spinoza, sc.: „ik heb dit, met een ander letter uitgedrukt, in de gezonde brief achtergelaten, gelijk ook al 't ander, dat met een andere letter uitgedrukt word," i. e. „haec omnia, diversis literis expressa, in epistola missa omisi, sicut etiam reliqua, quae cursive imprimuntur." Ultima verba

valent de his in sequentibus: „ex quibus tamen hoc non evincitur" et „Qua quaeso ratione nobis ostendere poterit, illum calorem non ortum fuisse a materia aliqua subtilissima?"

Ep. XVIII. Vs. B.: „sal mijn beter passen aan een ander als aen UE. te seggen" i. e. „magis me decebit ut aliis, quam tibi narrem", quod habet Ed. Pr.

Itaque vix assequor, unde L. mutaverit „magis me decebit quam alium, ut tibi narrem"; quae verba insuper totam sententiam vitiant et turbant.

Ep. XXXI.: „— cui, si visum ita fuerit, committere tuto poteris, quae ea de re iam composuisti, et reciprocam officiorum nostrorum promptitudinem polliceri."

Nisi „*tibi* reciprocam," iniungis, vix video, quomodo sententia recte procedere possit; de locutione cf. Ep. XXXIII eiusdem Oldenburgii: „certo tibi poteris polliceri."

Denique audi Vs. B.: „en *aan u zelf* een onderlinge vaerdigheit van onze plichten beloven."

Ep. XXXVI. Dubito, num Edd. vett. loci sententiam intellexerint, qui sic distinxerint: „nihil amplius (ut notum) nisi simplicem verborum ordinem praesupponendo."

L.: „nihil amplius, ut notum, nisi simplicem," etqseqq. Malim distinctionem omnino abesse, cf. Ep. LVII: „supponis enim in conceptu ut certum" etqseqq.

Ep. XL: „sique mihi, se eum ex alio libro alterius plebei, qui quoque nitide scribere noverat, descripsisse et sic in infinitum procedat, is mihi non facit satis."

Meyer „dicat" inseruit; et sane tale quid omnino desideratur.

Vs. B.: „en hij daarop aan mij *antwoord*, dat hij 't uit een ander boek van een ander gemeen man, die ook çierelijk kon schrijven, uitgeschreven had, *en dus tot in 't oneindig:* zo voldoet hij mij niet." Itaque fere suspiceris, Edd. vett. vocem „respondeat" sive male scriptam sive male lectam in „procedat" mutasse.

ibid.: „— et cui doctrinae suum per errorem summum congruere putat."

Lege „suam" sc. doctrinam. Cf. Vs. B.: „en met welke lering hij de zijne, doch met de grootste doling, acht overëen te komen."

ibid. „— Dei potentiam, quae juxta naturae leges exeritur."

Meyer „exercetur," Tamen verbum „exerere" in hac re recte adhiberi videtur; cf. infra: „ita ut actus illi externi, si tempestive non exerantur," etqseqq.

ibid.: „Quemadmodum itaque nos ab hoc universo, ejusque legibus, secundum quas ortus et interitus rerum fiunt, non possimus aliquid diversum concipere,

sed quicquid hujusmodi a nobis fingi possit, id ipsum se subvertere; Sic docet" etqseqq.

Sententia claudicat, cum pro infinitivo coniunctivus „subvertat" desideretur. Audi Vs. B.: „en gelijk al 't geen, dat wij op deze wijze konnen verdichten, zich zelf omwerpt en vernietigt."

ibid.: „quia repugnantia ponit ex sensu Auctoris."

Vs. B.: „repugnantiam" legisse videtur, quae haec habet: „vermits dit strijdigheit insluit, volgens de mening van de schrijver."

ibid.: „Ponit itaque, Deum Prophetis argumentorum selectu permisisse, ut ea adhiberent" etqseqq.

Restitue „select*um*" favente etiam Vs. B.: „dat God d' uitkiezing der bewijzen aan de Profeten heeft toegelaten."

ibid.: „Auctor aliam rationem virtutum esse arbitratur, ut, quatenus intus in Mente subsistunt, illae semper naturam suam servant, neque a circumstantiarum mutabili statu pendent."

Meyer „ut" tollendum statuit; omnino recte, cf. paullo supra: „Ponit, rationem virtutum moralium, quatenus illae in societatibus usum habent." etqseqq. Deinde „ut" inserit post „subsistunt," ita ut sententia fiat, „subsistunt, ut illae" etqseqq.

Tamen indicativus modus verborum „servant" et „pendent" testari videtur, in Ms. coniunctionem

prorsus afuisse, itaque sic distinguendum esse: „arbitratur, quatenus intus in mente subsistunt; illae semper" etqseqq.

Ep. LVII. Favente Vs. B. haec ita distinguenda videntur: „Quis enim mihi negaret, nisi contradicendo propriae conscientiae, *quod* non possum in meis cogitationibus cogitare, me velle scribere aut non scribere, et, quoad operationem quoque, quia hoc externae causae permittunt (quod secundum concernit casum), *quod* equidem tam scribendi quam non scribendi facultatem habeam?" Nota sic demum alterum illud „*quod*" habere, unde pendeat.

Negatio „quod *non* possum" quamquam, si verba severiore trutina perpendimus, abundat et melius abest, tamen auctori Tschirnhausio, non ita curiose scribenti, condonanda videtur; praeterea vide, quae de auctoribus, prae nimia negationum serie sententiam parum recte absolventibus, disputavimus ad p. 42 et quae mox ad Epp. LXVII et LXXXII annotaturi sumus.

Ep. LXI: „dum eam ex eo pede metiebar, quam Theologorum vulgus et receptae Confessionum Formulae suppeditant."

Corrige „quem„ sc.] pedem.

Ep. LXIII. Quam difficilis et intricata sit quaestio de recensione epistularum, optime ex hac epistula

„ab ipso auctore, ut videtur, admodum truncata" intellegi potest. Cuius autographon, editum apud L., in initio haec habet: „Ex. gr. Mundus noster extensionis, ut ita dicam, quantae amplitudinis existit, tantae quoque amplitudinis Mundi, qui aliis attributis constant, existerent, quodque sicuti nos nihil nisi extensionem percipimus praeter cogitationem, sic creaturae illorum Mundorum nihil aliud deberent percipere, nisi attributum sui Mundi ac cogitationem." Quae sententia, etsi fortasse prolixior, tamen clara et perspicua est, imprimis collatis iis, quae proxime praecedunt.

Iam audi, quae proferat Ed. Pr.: „Quantae ex. gr. extensionis noster existeret mundus, tantae quoque extensionis mundi, aliis affecti attributis, essent: quemadmodum vero, praeter cogitationem, non nisi extensionem percipimus, ita etiam istius mundi creaturae, non nisi sui mundi attributa, atque cogitationem perciperent." Vides omnia turbata esse et summa ambiguitate laborare, cum vocabulum *extensio* uno tenore atque eadem in sententia modo pro attributo illo, cui coniungitur cogitatio, adhibeatur, modo „magnitudo" significet vel potius „amplitudo," quam vocem aptissime distinguens introduxerat autographon.

Itaque in promptu est Editores vett. huius neglegentiae et socordiae accusare. Cum tamen etiam Vs. B. fere eadem, quamquam aliquantulo meliora, exhibeat, quippe quae legisse videatur: „Ex. gr. quantae extensionis Mundus noster extensus, ut ita

dicam, tantae quoque extensionis Mundi, qui aliis attributis constant, essent" etqseqq. (cf. etiam lemmata), haeres iam, opinor, atque nescis, quid in hac re Spinozae, quid editoribus veteribus imputes.

Quod ad reliquam epistulam attinet, Versione Belgica cum Ed. Pr. et autogr., ut est apud L. comparata, apparet Spinozam truncasse, quae lectoris nil interesse viderentur, idque more suo, ut supra demonstravimus p. 58; porro eum hic illic rem brevius et succinctius expressisse, sc. ea, quae pariter et in Vs. B. et in Ed. Pr. desiderantur: exordium epistulae et finem et pauca minora. Hanc autem recensionem ipsius philosophi suo Marte mutasse idque plerumque in peius videntur Edd. vett.; sc. in iis, in quibus Vers. Belg. ab Ed. Pr. dissentit, at facit cum autographo; ex. gr. „mundus *extensus*, *ut ita dicam*," quibus verbis aegre caremus, verba „qui constant attributis" mutata in „affecti attributis", quae locutio parum accurata minime Spinozam redolet; locum „non nisi sui mundi *attributum* atque cogitationem" depravatum in attribu*ta*, qui Pluralis sententiam omnino turbat, alia denique minora.

Postremo notandum est, plane eodem modo in Ep. XLIII, cuius autographon exstat, Versionem Belgicam cum autographo in minoribus conspirare, dissentiente Ed. Pr. (v. c. „muneribus, ipso divino amore longe suavioribus, a Deo *onerari* exspectat" contra Ed. Pr. „*honorari*") ita ut etiam hic Edd. vett. Ms. perpolientes deprehendere tibi videaris.

Ep. LXXV: „— qua Deus Abrahamo apparuit, quando hic vidit homines, quos ad secum prandendum invitavit."

Lectionem, quae invenitur in altero huius epistulae exemplo, a Gerhardtio edito: „quando hic *tres* vidit homines" confirmat Vs. B.: „toen hij *drie* mannen zag."

Ep. LXVII: „*Irreformabilitatem*, qua, corrumpi et falli fallereque cum non possit, nunquam egere constat."

Ecce iterum locus, nisi fallor, in quo efferendo per longam seriem negationum pedem offendit auctor. Etenim si recte video, ad verbum „egere" non tam „irreformabilitas" quam „reformabilitas" vel „reformatio" referri debet.

Ep. LXXXII: „— nisi alia sontica subsit forte causa, quare illud hactenus manifestum facere nolueris; et si hoc, de quo non dubito, non opus fuisset, tale quid obscure indicares."

Credo Vs. B. recte locum intellexisse et extricasse: „'t en zij er misschien enige andere gewichtige oorzaak onder schuilt, om 't welk gij dit tot noch toe niet hebt willen openbaren, en zo dit, gelijk ik *niet* twijffel, *niet* nodig had geweest, gij zoud *niets* zodanig duisterlijk aanwijzen." Itaque „*non* tale quid" legendum videtur.
